7 264630. Campil.

NATHANAELIS Falcken/ D.

SS. Theol. in Gymn. Carol. PROF. PUBL. PRIMAR. nec non ad Div. Mariæ PASTORIS & Synodi Stetinensis PRÆPOSITI, antehac Collegii Philosoph. in Almâ Leucoreâ ASSESS. & DECANI,

Νῦν ἐν ἁγίοις,

DISSERTATIONES QUATUOR,

De

DÆMONOLOGIA RECENTIORUM AUTORUM FALSA,

Anno 1692.

WITTEBERGÆ habitæ,

Nunc verò

Præfixis literis

SCHOMERIANIS

ibidem recusæ.

Typis MARTINI SCHULTZII, An. 1694.

XVI 264630

~~7411.T137~~

A.51204

EPISTOLA
Celeberrimi quondam THEOLOGI ad Dissertationum harum
AUTOREM.

Vir admodum Reverende & Excellentissime,

Fautor & in Christo Frater honoratissime, &c.

QVod ad Te *postremis meis Wittebergam me scribere memini, idem nunc repeto, nempe non posse me, qvin gratuler impensè* Honori Tuo, *qvem TIBI non unum parari tunc Fama erat, nunc partum esse, tum aliunde, tum è nuperis* Tuis *constitit; Sed & doleam, qvod* TUI Similes Academicæ Cathedræ *subtrahantur. Ita enim ostendisti Vires ingenii* in eruditâ illâ de Dæmonibus commentatione, *qvâ Witteberga ultimum specimen reliqvisti, ut nullus dubitem, qvin plures mecum, in eandem traxeris de Discessu* Tuo

Sententiam. *Erigit tamen spem meam illud* Professionis Theologicæ *Officium, quo fungeris etiam in Stetinensi Gymnasio, & fore credo, ut ea* Tibi *Cathedrà porrò in usum* Ecclesiæ *uberrimum, Nominisqve Celebritatem in dies majorem cedat. Qvod dum precor, gratulor & in Sinum mihi, qvòd nostra qvoqve opera ad aliqva artium rudimenta* tam egregio Viro *formanda paululum attulerit, qvod* Tu *qvidem pro Humanitate* Tuâ *nimis magnificè & ultra omne meritum laudibus effers, sed & sic magis me* Tibi *devinctum reddis, ut, qvâ in re me defeciſſe agnosco, aliis amicitiæ officiis, si qvæ proficiſci à me possunt, id supplere annitar. &c. &c.* Tibi *in novo officio novam concedat DEUS promovendæ Gloriæ divinæ & publicæ Concordiæ Felicitatem! Vale*

Admod. Rev. Excell. T.

Dabam Rostochii
d. 22. Febr. 1693.

Studiosissimus

J. C. SCHOMERUS, D.

Q. B. D. V.

DE

FALSA RECENTIORUM AUCTORUM DÆMONOLOGIA,

Dissertatio Præliminaris,

Varias Recentiorum ad Atheismum Vias ac Methodos, imprimis per negatam Dæmonum existentiam, commonstrans,

Respondente

JOH. ISAACO Trempenau. Gedan.

§. 1.

NEfanda omninò res est, & in quâ, si quos profectûs feceris, honestati omni ac bonæ menti bellum indixisse videri potes, quando ad inficiandam Numinis Existentiam studia sua applicant homines, & refragante quamvis interno dictamine, nec vindicem agnoscere scelerum satagunt, nec qui præmiis mactare probos, eorumque prospicere commodis intendat.

§. 2. Neque tamen, quæ nostri maximè seculi summa infelicitas est, defuerunt in hunc usque diem, quos tali raptos vertigine sensimus, ut huic conatui studioque penitus se impenderent, id demum cum magnâ sui laude conjunctum arbitrati, si subtilius atq; alii tractassent artificium, & quantum ingenio valeant, in hoc abominabili tractando opere experti essent. Nihil jam attinet, omnium eorum recensere Nomina & Conatûs, qui magis crassum exhalantes aerem in apertam negandi Numinis licentiam proruperunt; quorsum, si referre veteres placeret,

ceret, ante alios collimavit infamis Auctor Libri (quem Grotius unquam exstitisse dubitat, sed contra aliorum αὐτόπλων fidem) *de tribus impostoribus*, (qui Lipsio Fridericus II. Imperator, Thomæ Browne Bernhardinus Ochinus, Campanellæ Poggius Florentinus, Mersenno Petrus Aretinus, Dannhavero Simon de Tornaco fuisse creditur. Vid. etiam *Dekherrus de Libris Adesp. p. 119. & Morhof. Polyhist. p. 71.*) eundemqve procul dubio lapidem movit *Godofredus à Valle, in L. de Arte nihil credendi*; & alius in *L.* cui tit. est. *Cur receptum sit Evangelium*; nec non Auctor Libri, qui *Cymbalum Mundi* dicitur, de quo an *Bonaventura de Perez* fuerit, Honsdorffius, Henr. Stephanus & Mersennus, ac denique Voetius, quem vid Disp. Sel. P. 1. p. 155. disquirunt; ut nihil dicam de sceleratissimo Scriptore *Libri*, qui sub tit. *Simonis Religio*, prodiit, ex quo Magnif. Dn. *Pfeifferus in Progr. ad Lectiones Anti-Atheisticas*, hæc refert: *Credo in tria, Cœlum, terram, & Cœli formam; in Cœli Patrem atque Creatorem omnium, in terram rerum omnium Matrem atq; Nutricem, & in Cœli formam, omnia sentientem atque intelligentem. Ede itaque, bibe, lude, jam Deus figmentum est*; Hoc verò *Symbolum Simonis Theodorianum* vocat nequissimus mortalium.

§. 3. Inter Recentiores, qui Atheismum aperte professi sunt, præ reliquis eminet *Julius Cæsar* (ita enim dici voluit, qui, Mersenno judice Atheorum omnium Cæsar erat, cum nomine à Parentibus dato antea *Lucilius* vocaretur) *Vaninus*. Hic homo, Gente Italus, literarum rudimentis Romæ imbutus, tandem Medicinæ Professor factus. Vid. *Gramondus hist. l. 3.* (postquam in *Amphiteatro æternæ Providentiæ Divino Magico*, tum & *in Dialogis de Admirandis Naturæ Reginæ, Deæq; Mortalium Arcanis*, Andream Cesalpinum Aretinum, Philippum Mocenicum & Bernhardinum Telesium, Atheos, imò & Cardanum, (quamvis hic insanæ mentis potius, quam Atheismi à nonnullis postuletur) in Libris de Subtilitate, sequi constituerat, vid. *Parkerus de DEO & Provid. Div. Disput. 1. Sect. 24 seqq.* in apertissimum negandi Dei conatum præceps factus est, & blasphemo ore de Religione Christianâ pronunciavit; hanc uti Religiones alias, ex mutatâ cœlestium siderum dispositione ortam esse; & honori ipsius Servatoris insultavit, calliditatis eum insimulans, quod Anti-Christum venturum prædixerit, ut hâc anticipatione odiosos quoscunque redderet, qui futuris

futuris temporibus Doctrinam ejus opugnaturi essent; & in Paulum, sanctissimum Christi Apostolum, injurius fuit, Politicam ei vafritiem affingendo, quod maritos monuerit, ut uxores diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam, unde scil. spurcitiæ muliebri paratissima nasci excusatio poterat, quam referre animus horret. Quid multis? ipse Vaninus, cum Tolosæ rogo esset proximus, fatebatur, Neapoli tredecim fuisse emissos, qui per omnem Europam venenum Atheismi spargerent, sibi autem sorte aut designatione contigisse Lutetiam, ubi strenuè spartam suam exornarit. Vid. *Mersenn. in Genes. p. 671.*

§. 4. Existimare verò liceat, propagatum omninò esse illud Vanini virus in Galliis, quando tam larga Deistarum copia (qui insolenti appellatione *les Esprits forts* dici voluerunt, quod ex *Pellero ad Klok. de ærar. L. 2. c. 85.* observat *Magnif. Dn. Diecmannus de Naturalismo Bodini p. 22.*) Mersenni jam tum tempore se prodidit, ut teste illo *in Genes. p. 671.* Lutetiæ Paris. Anno 1623. ultra 50000. Atheorum inventi fuerint; quin in unicâ domo aliquando 12. reperire liceat, qui hanc impietatem vomant. Cum quo consentiens *Alex. Capellus in Præfat. Tract. Gallici contra Atheos*, plures nunc Profanos & Atheos esse, memorat, quàm olim tempore Gentilismi. Quâ ratione autem illud hominum genus in animos aliorum clanculum agendo se insinuet, id *Petri Firmiani de nocturnis atheorum in Urbe Parisiensi congressibus relatio* docere potest, quam *B. Spitzelius Epistolæ suæ ad Meibomium de Atheismi radice* inseruit.

§. 5. Neque dubium est, quin illa hominum maleferiatorum petulantia extra Galliam quoque & in aliis gentibus caput extulerit; certè Angliam suam haud parum suspectam, si non aliunde res constaret, reddidit *in Prolegomenis ad Physicam, Joh. Casus* Oxoniensis Philosophus: *Vereor*, inquit, *ne nimis longus & prolixus sim. Sed facile dabis veniam, studiose Lector, si decrepitam ætatem, vel potius delirium hujus mundi consideres, in quo hoc opus scripsi. Horrendum est dictu quidem, & tamen dicendum. Multi sunt hodie incredibiliter stulti, qui audeant* (Cetera quis nescit? totus horreo verba repetere) *qui, inquam, audeant, dicere: (ô tempora!) non esse DEum. Istos si oraculis divinæ Philosophiæ urgeas, fanatico quodam Spiritu & furore perciti, hæc ipsa negant: & certe non mirum, cum ipsum DEum eorum*

Auctorem, negent. Si non vidissem hæc monstra (Hacketum, blasphemum illum Atheum, alios q; ab inferis furenter excitatos scorpiones & locustas intelligo) certe tam multus, vehemens, & copiosus in hac causa non fuissem. Sed quoniam vidi, non solum istos, sed istorum aliorumq; furias satyrasq; volantes in DEum, in DEI verbum, in fidem, in Ecclesiam & Academias optimarum literarum asyla, operepretium esse putavi, bellum illis palam indicere.

§. 6 De Batavis quo hîc statuere judicio liceat, ipse aperuit *Gisb. Voetius D.S.P.1. Disp. de Atheismo, sub finem.* Et ut de Italis quorum ingenia omnibus nota sunt, ex quorum etiam numero Vaninus & Socii erant, nihil dicam, vellem certè in Germaniâ nostrâ hinc inde alia rerum facies appareret; Perspecta sunt hominum plurium ingenia, audiuntur sæpius profanæ voces & nequid reliqui sit in hoc petulantiæ studio; ante aliquot lustra in publicum protrusa est *Conscientiariorum*, der Gewissener/(ita enim dici volebant) teterrima farrago, cui facem prætulit *Matthias Knutzen*, cujus Schedulæ Anno 1674. Jenæ & alibi sparsæ existentiam DEI & quæ ad illam consequitur, Scripturæ Authoritatem penitus sublevare conabantur, unde impurissimû os in hæc erumpere verba non erubescebat: So ein GOtt ist/ so sage mir Herr Seeligmacher (hoc nomine appellabat Ecclesiæ ministros) wo GOtt herkomme &c. vid. *Epist. Knutzenij latina & colloquium germ. quod An. 1675. D. Joh. Musæus Scripto suo, cui Tit.* Ableinung der ausgesprengten abscheulichen Verleumdung &c. addi curavit.

§. 7. Poteram hujus farinæ homines associare iis, qui, cùm *Naturæ*, quam extollunt, omnem in Mundo operationem & effectus causarum tribuant, meriti propterea *Naturalistarum* nomen fuerunt, nisi hi, quos recensui, levato magis velo navigassent, & sensa animi apertius referare ausi essent, atque iis institutum fuit, qui DEUM cum ordine Causarum secundarum confundentes, subtiliori ad Atheismum gradu grassati videntur. Hos inter primicerium haud injuriâ constituo Benedictum Spinozam, quem quidem Th. Hobbesii legisse vestigia non ignoro, durius tamen & ore magis procaci ac protervo ad eradicandam ex animis hominum opinionem de DEO ejusque existentiâ, se applicasse penitus existimo. Quanquam enim *Auctor, qui præfatione*

instruxit

instruxit Spinozæ opera magnificè conatum hujus Viri extollat, eumque talem prædicet, *per quem divinitas & Sacrarum literarum Authoritas, & simul Veritas Religionis Christianæ ostendatur ut sine dubio ex crassa & supina ignorantia acutissimus vir Atheismi accusetur, & quod ejus positiones omnem Religionem omnemq; Pietatem ex hominum animis tollant*; quin imò, quanquam ipse Spinoza in *Tract. Theol. Polit.* alios accuset, quod *Scripturæ divinitatem nec per somnium videant*, & *in fine hujus operis* ita causam suam peroret; quod *sedulo ipse curaverit, ut quicquid scriberet legibus Patriæ, Pietati, bonisq; moribus omnino responderet*; ipso tamen opere contrarium testatus est, & expresis verbis DEum cum natura rerum, omniq; creata substantia confudit, quæ *nulla dari, quin nec concipi præter Deum possit*, unde Entia omnia tantùm *modi quidam in DEO sint, vel sub ratione extensionis vel sub ratione cogitationis concepti, ut omninò credi debeat, quod creaturæ se ipsas fecerint*, quæ infanda Mechanismi structura fusè proponitur à Spinoza *Ethic. part. 1. impr. Prop. 5. 14. 15. & Part. 2. prop. 7. in Scholio, it. Prop. 11. in Corollar.* nec non *part. 4. prop. 4. in demonstr. conf. etiam Epist. 49.* Neq; vero hic substitit furor hominis, sed à latere etiam impugnandum sensum Numinis & Divinitatis, quâ potuit operâ, sibi sumpsit. Certè Authoritatem Sacrarum literarum sublevat, quod *Prophetas ex imaginatione scripsisse* putat, unde *ab illis cognitio rerum spiritualium petenda non sit, & ipsum quoq; Christum atq; Apostolos opinionibus* & principiis uniuscujusque se accommodasse asserit, *Tract. Theol. Polit. c. 2.* imò, quod intolerabile omnino est, *corpus Scripturæ mendosum, truncatum, adulteratum, & sibi non constans esse* blaterat, in quo nempe ἀσύστατα, *fabulis referta, & falsa plurima inveniantur, ibid. cap. 9. 10. 12. 15.* Præter hæc Juris à Natura inscripti fundamenta ipse diruit, dum *jus naturale uniuscujusq; hominis non sana ratione, sed cupiditate & potentia determinari* asseverat *l. c. c. 16.* Quid multis? Religionem omnem *superstitionis loco habet, & quæ reipublicæ paci & utilitati à summis potestatibus accommodari, hisq; uti interpretibus debeat, l. c. c. 16. 19. 20.*

§. 8. Fallor, aut ex Philosophi Malmesburiensis, quem ante dixi, pharetrâ, pleraque hæc desumpta sunt, nam & ille Naturalistarum Promachus, ut hominibus assereret, quod Cultum Divinum statuminat, interpretationes & Canonicam Scri-

pturæ Authoritatem, & Jus determinandi Controverſias, & veritatem denique Miraculorum derivat ab Auctoritate illius hominis vel cœtûs, penes quem eſt ſummum Imperium Civitatis, *Lib. de Cive c.15.& 17.* & in Leviathane *cap.33.37.42.& c.* Idem Codicem biblicum *pro meris laciniis & ἀποσπάσμασι Scriptorum Divinorum* venditat, *quæ tumultuaria, neſcio cujus demum Auctoris Opera, congeſta fuerint, Leviath. cap.33.* Jus Naturæ à proprio, ſed illo verè belluino *ſui Amore* repetit, unde in ſtatu Naturæ, ſublatis legibus humanis omnia liceant, ut unusquisque facere quæcunque & in quoscunque libet, ſine injuria poſſit, quandoquidem nihil juſtum atque injuſtum cenſeri debeat, antequam homines aut propriis pactis aut reipublicæ legibus obſtringantur; *Lib.de Civ. cap.6.12.14.* Quid? Spinozæ etiam in abſurdiſſimo impietatis dogmate præludens: *nullum*, dicit, *demonſtrari poſſe mundi opificem, ſed omnia ſolius materiæ neceſſitate fieri*, cum æterna exſtiterit moventium & motorum ſeries, DEUS autem à ſe nihil agat, ſed cauſarum tantùm externarum aggregato ad efficiendum, quicquid efficit, impellatur. *Vid. Phyſ. cap.25. ſeq. & in prim. Philoſoph. cap.9.*

§. 9. Non aſſeram ita penitus omnem bonæ mentis indolem exuiſſe *Herbertum Baronem de Cherbury* (quem huic hominum Societati communiter adſcribunt) atque de Spinoza modò & Hobbeſio patuit; attamen cum & ille *authoritatem Sacri Codicis in iis, quæ notitias communes excedunt, ſua in origine ſuſpectam* putet, Conf. *append.ult. Libr. de cauſis Errorum. n.18.* & Chriſtianam fidem *novitatis* accuſare haud vereatur, *vid.* impr. *Lib. de Veritate p.284.* contra: *Notitias ſuas communes, quinq; Articulis comprehenſas*, quas tantoperè deprædicat, & illum *Conſenſum Gentium Univerſalem pro Exiſtentiâ DEI*, quem fingit, nimium quantum elevet, *ut ſolum ſibi naturalem ſufficere Dei cultum arbitretur; Conf. maximè L.de Veritate p.49.51. & c.* quicquid ſit, quod de Deo ejusque notitiâ magnificè differat *l. c. p. 273.* idcirco idem quoque vix ac ne vix quidem à ſubtiliori quâdam impugnatione Divinitatis immunem ſe præſtare poteſt, & ab eorum conſortio alienum, qui ſub acutioris, quam ſomniant, Philoſophiæ larvâ Chriſtianiſmo inſidiantur, id agentes, ut quando ſacrarum paginarum fides & authoritas eliminata eſt, (in eo enim omnium poſita cura deprehendi-

henditur) tum verò nova quædam, atque illa vel mechanicæ rerum disposition, vel rationi sibi relictæ superstructa Religio, sed hæc aut falsa penitus, aut omninò nulla, introducatur.

§. 10. De *Bodino*, & quomodo ille cum Herberto Barone easdem propemodum inflare tibias videatur, (quanquam Grotio facilè etiam assentiar *in Epist. ad Gall. 146.* qui Bodinum ex crebra cum Judæis conversatione in Naturalistarum Errores incidisse existimat. *add. Epist. 170.*) nihil hîc explicare attinet. Liber ejus *MSS. de sublimibus & abditis rerum sublimium Arcanis*, in paucorum, neque nostrum unquam conspectum venit, adeoque rarus haberi potuit, ut mille aliquando aureis venderetur. Unde Isaacus Vossius Claudio Sarravio, Senatori Parisiensi auctor erat, ut illum compararet in usum Christinæ, Reginæ Sveciæ. *Vid. Sarravius in Epist. p. 322. 325. sq. 335. &c.* Quicquid de illo opere scimus, recensioni accuratissimæ Summè Rev. Dn. Diecmanni, Patroni nostri, *in Disput. Inaug. de Naturalismo Bodini*, acceptum ferimus, ita omninò persvasi, quod & hujus hominis conamina ad evehendum rationis supra Scripturam Dominium, quò facilior in divinâ veritate lapsus esset, spectaverint; cum cæteroquin homo impius *Cardani in Libris de Subtil.* & disputandi methodum & argumenta avidè arripuisse videatur.

§. 11. Quod institutum deinceps persecuti sunt alii, quando his instructi Doctoribus tum *Claudius Berigardius Circulum suum Pisanum* magnoperè auxit, tum *Campanella in Atheismo triumphato* haud parum sese extulisse censeri debent. Et Campanella quidem ab Atheismi suspicione eò minùs absolvi potest, quò magis ex Naturalistarum more Rationi & Naturæ tantùm tribuit, ut *Religionem secundùm Naturam nobis à Deo inditam, Philosophis & Nationibus probatam, deinde demum à Deo supernaturaliter publicatam asserat.* Quo suppositio, id de se prædicare non erubescit, quod ipse confutare ac convellere Atheismum suscipiat argumentis hactenus insolitis, *non Rationibus & experimentis, quibus Philosophorum Sectæ omnes fulcire profitentur opiniones, quod singulæ sibi videantur Veritatem prose habere; nec tamen videant, quod lex omnis jactanter prædicet, se habere ad comprobationem dogmatum suorum Miracula, Argumenta, Prophetias, Martyrium, Concordantias Veritatis*

ritatis &c. Sed quàm frivola ejus Argumenta & Rationes sint, quæ profectò saniorem doctrinam ludibrio exponere videntur, cùm nescio quas *demum tres Primalitates seu Præeminentias (Potentiam, Sapientiam, & Amorem, per quæ Ens primum essentietur, secunda verò Entia horum participio, ac in tantum sint, existant & videant in suo quoque gradu, in quantum perseverant in eis Potestatis, Sapientiæ & Amoris radii, participationes, cuique pro rata sua, &c.)* ex ingenio fingat, & has à nemine, etiam Atheo, concessas, omni structuræ suæ supponat, vid. *Cap. 2. p. 4.* è contrario, quantâ idem sollicitudine & ingenii acrimonia Atheorum tela expromat, ut attentum lectorem subtilitate argumenti, quod leviter & superficiaria quasi opera deinde solvit, præoccupet, animoque ejus tacitè se insinuare possit; (ut de studiosa novorum terminorum & affectati obscuri sermonis inductione, unde confusionem parere in animis evolventium poterat, nihil adjiciam) id verò Lectori cuivis nullo negotio patere potest; quare etiam in sententiam Grotii & aliorum facilis iverim, quod cum *triumphatum* scripserit *Atheismum* Campanella, *triumphantem* orbi obtrudere voluisse videatur. Et sanè, quamvis mitiori etiam de hoc homine judicio vellem statuere,) cùm non ignorem, haud paucos esse, qui corrupto potius & ad vesaniam inclinato capiti, quàm malo viri animo succenseant,) confirmat tamen sententiam, quod Magiæ Diabolicæ crimen vix effugere Campanellam posse deprehendo, non quia id sceleris ipsi datum est ab inquisitoribus Hispanis, quorum invidiâ ad torturam actus 35. integris horis acerrimos cruciatûs subiit, sed quod vestigia consvetudinis cum Dæmone haud vulgaris initæ reperio in Campanellæ *Libr. 12. Metaph. c. 3. & 12.* ac præterea *Bæclerum* testem habeo, *in Elogio Christophori Forstneri*, ab hoc Campanellâ in carcere delitescente, Forstnerum nunquam antea visum, proprio nomine compellatum, & de futuris edoctum plurima fuisse; quale quid utrum sine Magiæ adminiculo præstari potuerit, dijudicandum cordatis quibuscunque relinquo.

§. 12. Jam cum furibundo homine conjungerem recentiorem Divinitatis & omnis sanæ Religionis Antagonistam, *Urielem â Costa*, cujus *Exemplar humanæ vitæ* in mera Naturalistarum Principia

cipia cum vesanâ impurissimarum vocum eructatione definit; nisi monstrum illud hominis & exposuisset orbi & debellasset, qui in omnium jam versatur manibus, *Philippus â Limborch de Veritate Relig. Christianæ.*

§. 13. Et nunc quidem prolixè satis cum iis egimus, qui Naturam & Rationem naturalem Dei alicujus instar venerati, pronam ad Atheismum viam aperiunt. Neque tamen possum, quin illud hominum genus in eundem propè cum recensitis campum producam, quod Subtilitati Rationis suæ multum omninò tribuens, conquisitis hinc inde argumentis impugnare Existentiam DEI studiosè allaborat, quin eandem non nisi prævia *clarissimâ & distinctâ perceptione*, quam fortè nunquam per affectatam subinde dubitandi disceptandique industriam assequi potest, persvaderi sibi patitur. Egregiam hujus societatis scepticæ imaginem pingit, quem hic datâ operâ allego, Petrus Poiretus, qui cum novem Atheismi species producere in medium constituisset, quintam, quam format, ita describit: *Est & quinta quædam Atheismi species, qua continentur illi, qui publicè quidem & externè DEum profitentur; insinuinterim de DEo dubitant cum sollicitudine, in eo â præcedentibus diversi, quod non ut illi de DEo certiores fieri exoptent, sed potius conentur ratiunculas suas dubitandi & scrupulos stabilire, rationesque ei oppositas & media, per quæ dubiorum vinculis expediri possent, impugnare, adeò, ut eadem invalida esse vel haberi cupiant, idque nitantur evincere.* Subjicit: *Hos propemodum insanabiles judico: Radices enim morbi inhærent voluntati, liberè huc inclinanti, quam invitam flectere nemini concessum est. Rationis verò suæ unius corruptæ sponte suæ mancipia sunt, cujus fræna regit spiritus nequitiæ & tenebrarum.* De quibus Poiretus intelligi voluerit, ipse sui interpres exponit, cùm in margine *Pyrrhonismum* appellat, qui quintam hanc Atheismi speciem, *fluctuationis affectatæ* studiosam, constituat. Sed vellemtamen clariùs nobis exposuisset mentem Philosophus, & quos ipse Pyrrhonismi hujus suspectos censeat, id haud dissimulato Sectæ nomine aperuisset.

§. 14. Ego quidem, quod ad Cartesii Scholam digitum intenderit, si Virum ex ingenio suo æstimare licet, minimè mihi persvadeo, neq; ipse auctor esse velim durioris sententiæ, quod

Carteſius (de ipſo enim hujus Philoſophiæ principe libentius loquor, quàm de nonnullis, qui Carteſiana premere veſtigia videri voluerunt) Pyrrhoniſmi ſtudio tactus omninò atque affectus fuerit. Scio, quid abſurditatis Pyrrhoni in mentem venerit, qui ad omnem veritatem cœcus, non aliter explicare dubia poterat, quàm ſcepticè reſpondendo: τὴν οὐδὲν μᾶλλον ἢ τὴν: *Hanc nihilo magis aut illam:* οὐδὲν ὁρίζω, ἢ τῶν ἄλλων. *Nihil definio, aut aliam aliquam*, teſtante *Sexto Empirico L. 1. Pyrrh. hyp. Libr. 1. c. 5. 7. 18. ſeqq.* Unde *Gellius* de hâc Scepticorum veſania teſtatur, quod illi *nihil decernant, ſed in quærendo ſemper conſiderandoque ſint, quidnam ſit omnium rerum, de quo decerni conſtituique poſſit.* Imò Pyrrhonios affirmaſſe ait: *ne id quidem ullo pacto videri verum, quod nihil eſſe verum videatur. L. 11. c. 5.* conf. *Laert. in vita Pyrrhonis. Seneca Ep. 89.* & *Clem. Alex. L. 8. στρωμ.* Age verò, an putabimus hanc inſaniendi pruriginem Carteſio quoque impoſuiſſe? aliud certè, ut de Philoſopho hoc acutiſſimo nobis perſvadeamus, haud pauca teſtari & commonſtrare videntur. Carteſius ipſe Scepticorum opinionibus nuntium remittit, dicendo: *Nec tamen in eo Scepticos imitabar, qui dubitant tantùm ut dubitent, & præter incertitudinem ipſam nihil quærant. Nam contra totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem &c. de Methodo p. 25.* Imò negat, ſe unquam de DEo dubitaſſe: *Moneo*, ait, *me nunquam docuiſſe, DEum eſſe negandum, vel ipſum nos decipere poſſe, vel de omnibus eſſe dubitandum. Propoſui initio meditationum mearum iſta omnia tanquam dubia, quæ non à me primum fuerunt inventa, ſed â Scepticis dudum decantata. Dicet fortè aliquis: me iſtas falſas opiniones non retuliſſe tanquam aliorum, ſed tanquam meas; verùm quid hoc refert? quandoquidem illas in ipſo illo libro, in quo ipſas retuli, omnes refutavi, &c. in not. ad progr. quoddam vulgatum in Belgio.* Hinc eſt, quod ex ſociis Carteſii ſint, qui Philoſophum ſuum non niſi de rebus naturalibus dubitationem præcepiſſe aſſerunt, ad res fidei, & quæ Deum concernunt cultumque ejus & agnitionem, nunquam hanc dubitationem derivatam voluiſſe. vid. *Claub. in dubit. Carteſ.* paſſim. *Allingâ in Coroll. ad quædam Philoſophica Ryſſenii p. 226.* Et quid? novi eosdem atque alios, qui non dubitationem, ſed *qualemcunque* tantùm *Judicii ſuſpenſionem*, cum de Exiſtentia DEi quæſtio eſt, commendatam â Carteſio affirmant

vid..

vid. *Wittich. Præf. ad Theol. pacif. p. 5. & 19. Allinga modest. defens. p. 14. 15. &c.*

§. 15. Attamen, si fateri licet, quod sentio, ego quidem cogitationes Cartesii posteriores, (cum tot impetitus jam fuisset Eruditorum Objectionibus,) meliores fuisse prioribus, (ubi adhuc in conscribendis Principiis suis & Meditationibus, sibi soli relictus, occupabatur,) penitus mihi persvadeo; Velim autem alii æstiment, utrum ille de DEo nunquam dubitaverit, qui *semel in vita de omnibus, quantum fieri potest, dubitandum esse*, monet. Princ. 1. §. 1. *qui in Epistola ad Principiorum Philosophiæ interpretem Gallicum, quæ Præfationis ipsi loco est*, dicit: *Principia â se in Physicis posita, omni tempore cognita, quin imò pro veris & indubitatis â cunctis hominibus habita fuisse, solâ Dei Existentiâ exceptâ*; qui denique supponit, *non optimum DEum fontem veritatis, sed genium aliquem malignum, eundemque summè potentem & callidum omnem suam industriam in eo posuisse, ut ipsum falleret: Medit. I. p. 8.* adde *Medit. II. p. 9.* Quod ex Scepticorum sententiâ hæc prolata sint, non mentem ipsam Cartesii manifestent, faciliùs crederem, nisi *Medit. I.* addidisset ad verba allegata Auctor; *maneho obstinatè in hâc meditatione defixus*; &c. nisi & hæc legerem relata *in Medit I. p. 9. in tantas dubitationes hesternâ Meditatione conjectus sum, ut nequeam amplius earum oblivisci, nec videam tamen, qua ratione solvendæ sint. sed tanquam in profundum gurgitem ex improviso delapsus ita turbatus sum, ut nec possim in uno pedem figere, nec enatare ad summum. Enitar tamen &c.* Imo verò, quid aliud, quam seriam dubitationem insinuat *Respons. V. ad Gassendum p. 56. Ubi enim ais*, (verba sunt Cartesii) *opus non esse, DEum fingere deceptorem, neq; nos somniare, nec talia; Philosophus putasset sibi addendam esse rationem, cur illa non possint in dubium revocari:* Et *p. 57. Quod dixi, omnia sensuum testimonia pro incertis, imò etiam pro falsis esse habenda, imo serium est, & ad meas meditationes intelligendas adeò necessarium, ut, quisquis illud admittere non vult, aut non potest, nihil in ipsas responsione dignum objiciendi sit capax.* Addo insignem locum ex *p. 13. de Methodo*, ubi monet auctor; quod *quamvis suum opus sibi placeat* (de opere autem dubitationis suæ loquitur) *nulli tamen author esse velit; ut simile quid aggrediatur, quod vereatur, ne hoc ipsum, quod susceperit tam arduum & difficile sit, ut valdè*

paucis expediat imitari. Nam vel hoc unum, ait, *ut opiniones omnes, quibus olim fuimus imbuti, deponamus, non unicuiq; est tentandum.* Hæc dum lego & perluſtro, aut omnia me fallunt, aut Carteſium non Scepticorum propoſuiſſe tantùm ſententiam, ſed ipſum dubitaſſe de DEo, ejusqve Exiſtentiâ perſentiſco. Ignoſcant igitur, Viri Clariſſimi, qui Carteſii ſe præſtitere Apologetas, quod Philoſophum ſuum de Divinis rebus nunquam dubitâſſe, cum de Exiſtentia DEI perſpicuis argumentis dubitâſſe convincatur, nec videam, nec aſſerentibus ipſis credam.

§. 16. Si dicant: *Carteſianum dubitare, nil ſignificat, niſi ſimplicem judicij ſuſpenſionem, conjunctam cum inquiſitione fundamenti boni aſſenſus*; quæ ipſa Allingæ verba ſunt *in Erotem. Illuſtr. Decade Erot. 8. p. 218.* Reſpondeo cum *Maſtrichtio Gangr. Carteſ. p. 23.* & *Scheuneno Carteſianiſmi Gangrenâ inſanabili p. 29. &c.* falſam Carteſianæ Sententiæ larvam affingi, cum alium Carteſii verba ſenſum habeant, utpote qui *ſerio & libere generali opinionum ſuarum everſioni vacabat, Medit. 1. p. 8.* qui, qvod ante retuli, *in tantas dubitationes conjectus erat, ut ſolutionem earum videre non poſſet* &c. Qui ſupponebat *eodem loco, omnia, quæ videret, falſa eſſe, & credebat nihil unquam exſtitiſſe eorum, quæ mendax memoria repræſentat, &c.* qui deniqve *Princip. I. p. 1. illa etiam, de quibus dubitamus, utile putat haberi pro falſis*, atque id omne *tam diu*, qvod ſæpe crepat, *donec rem clarè & diſtinctè percipere licuerit.* Addantur, quæ *ex Wittichio* aliisque in hunc ſenſum refert *Maſtrichtius l. c.* ut propterea *Allinga* temperare ſibi potuiſſet, cum dicit *l. c. ſe verba quidem audire, ſed ne minimam quidem dictorum probationem.* Poſſem id adjicere, quod etiam ſimplex judicii ſuſpenſio circa DEUM in vitio ponatur, atque à negatione DEI, aut certè intermiſſione cultûs divini, non multùm abeat; Neq; forſan id negligendum eſſet, quod falsâ Carteſiani utantur hypotheſi, quaſi omninò tali ſuſpenſione opus ſit ad indagandam Numinis Exiſtentiam, & hæc ſimpliciter referri debeat inter Concluſiones ex Principiis probandas, cùm tamen Principium potius ſit nobiscum natum, quod in dubium vocari nec poteſt nec debebat. Sed non eſt, ut hæc prolixius evincam & commonſtrem, qvandoquidem non de veritate ſententiarum, ſed de ſenſu tantùm earundem, prout ex ore Carteſii fluxerunt, diſquiro,

unde

unde & reliqua, quibus ſtatuminare dubitationem ſuam, aut, ſi ita appellare placet, *ſuſpenſionem judicij*, aut, *ordinem aſſenſûs legitimi*, nunc examinare ſuperſedeo.

§. 17. Quid igitur tandem ſtatuendum erit de commendatâ à Carteſio dubitandi ratione & methodo? An putabimus, ex iis, quæ huc usque diſputata ſunt, Carteſio imputari aut Pyrrhoniſmum quendam aut Scepticiſmum, per quem in Atheiſmum tandem prolabendi ſuppeditetur occaſio, ſine injuria Viri poſſe? Non dicam; ſi ad Carteſii mentem animique ſententiam attendo: Certè ingenui hominis eſt, non modò non affingere quicquam diſſentienti, ſed & fidem habere proprio verborum ac opinionis ſuæ interpreti, & quantum fieri ſalvâ veritate eſt, in ejus excuſationem datâ operâ eniti. Cùm verò Carteſius ipſe ſui Apologeta ſatis ſit perſpicuus, & quod à Scepſi alieniſſimus exiſtat, imo *totus in eo fuerit, ut aliquid certi inveniret*; Unde etiam, *quemadmodum fieri ſolet, cùm in arenoſo ſolo ædificatur, tam altè fodere cupierit, ut tandem ad ſaxum vel argillam perveniret. Id quod ſatis feliciter ipſi ceſſiſſe viſum eſt, &c.* vid. *de method. p. 25.* Quisnam igitur, obſecro, tam rigidus & Catone durior arbiter eſſe velit, ut à Carteſio laboratum ſtudio & opera, pro Scepticiſmo, eumqve intentum fuiſſe aſſerat?

§. 18. Enimverò quanquam ita penitus exiſtimo de mente, & ſtudio Carteſii, nihilqve de eo in deteriorem partem ſuſpicer (niſi forte id qvenqvam male habeat, qvod toties monitus aliam inſtitiſſe viam Renatus detrectavit,) de *ipſa* tamen hujus Viri *Methodo* neſcio quid incommodi mihi metuam; Fateor quidem & ego, quod *breve ſpatium temporis* dubitatione huic præſcripſerit Auctor, *in Reſp. ad ſecundas Object.* Unde Scepticiſmum forte, fruſtra hic quæſiveris. Sed ut de eo nõ dicam, quod omnis impietas etiam breviſſimi temporis cum vitio & inſequente reatu conjuncta ſit, uti in motibus primo primis licet deprehendere; Certè vix intelligo, quomodo ille dubitandi pruritus brevi abſolvi ſpatio queat, qvem talem eſſe vult Carteſius, ut *nihil pro vero acceptare liceat, niſi quod clarè & diſtinctè perceperis, quamdiu ſcil. vel minima incertitudinis ſuſpicio ſentitur*; Princip. 1. §. 1. & 6. & nonne ipſi Carteſio *novem anni effluxerunt, antequam de ulla ex iis quæſtio-*

nibus, quæ apud eruditos in controversiam vocari solent, determinatè judicare ausus fuit, quæ ipsa Auctoris confessio est, *Dissert. de method. p.24.* Age verò, si subtilissimum Cartesium per tot annos tenuit dubitatio, quid tardioribus ingeniis fiet? *scilicet* (ait *Magnif. Dn. D. Alberti in* διπλῆν καὶ πᾶσαν Cap.2.§.3.) *quod noctuæ, si cum Aquila comparetur.* Certe penes hoc hominum genus nescio an Poireti iterum verba adscribam, qui *quartam Atheorum speciem* ex eorum numero constituit, *qui de Deo incerti sunt, cuperentque ex animo, suis scrupulis & dubiis exsolvi, at voti non fiunt compotes, sed malo isti diutius, quam vellent, implicantur. Id mali*, inquit, *ex eo procedit, quod ratio in istis sit debilis & obnubilata, & tamen eâ solâ velint uti & niti* l. c. p.54. Addo illud, quod *Medit.3.* conqveratur des Cartes, *arbitratum se fuisse, multa se clarè percepisse, quæ tamen revera non perceperit.* Quanto igitur temporis tractu opus esse putabimus, ut quis saltem stupidior in cogitando, non arbitretur tantùm, sed sciat, se rem revera ita clarè percepisse, ut nihil amplius dubii reliqvum esse possit? Ego hic dubitando dubitaturos puto non rudes tantùm, sed & perspicacissimos mortalium; illos, quia rem planè non assequuntur distincto conceptu, hos, quia in cogitando validi sunt, & in inveniendis dubiis felices. Ita verò ad Scepticismum bene omninò præparata erunt ingenia. Plus dicam: nota res est, quantis difficultatibus in sacro imprimis Theologiæ studio, abs infinitâ Schismaticorum, Hæreticorum & infidelium farragine objectis, Doctrina sanior & orthodoxa prematur, in quibus diluendis veterano etiam militi haud rarò hærere aqua solet; qvod si jam Studiosus Theologiæ, ne unicæ quidem Thesi, fidem dare potest, nisi quam clarè & distinctè, superatis omnibus & dissolutis dubiorum nebulis, perceperit, ut nulla ipsi incertitudinis suspicio superfit, auctor ego futurus sum, vix centesimum fore, qui in Theologiâ ullos unquam profectûs faciet, & veritati nomen subscribat, cui adeò velit, nolit, Sceptico moriendum erit.

§. 19. Dices, *subsistendum est dubitanti in illo primo principio: Cogito, ergo sum*, id si fecerit, tum nec Existentiæ divinæ, nec rerum omnium certitudo felicissimâ methodo eruenda ipsi deesse potest. Sic enim profecit Cartesius & in veritatem cujuscunq; rei dubiæ penetravit. At bona verba, quæso: Putaverim ego, vi hypothe-

potheſium Carteſianarum, me ne quidem de cogitatione mea certum eſſe poſſe. Quando enim illam concipio, & actu mentis reflexo mihi repræſento, utut ſpeciem aliquam, aut ideam, ut cum *Renato* loquar, illius me habere cognoverim, dubius tamen ero, an ulla cogitatio talis, qualem illa ſpecies repræſentat, verè unquam exſtiterit, eò quod certus eſſe non poſſum, quod potentiſſimus ille, quem ſupponere debeo, ſive DEus, ſive deceptor genius non ita afficiat mentem meam, ut putem, eam actionem exſtitiſſe, cujus ſpeciem vel ideam actus reflexus contemplatur, quæ reverà nunquam exſtiterit; hoc utique clarè & diſtinctè non percipio; Diverſa certe omninò ſunt, ſpeciem alicujus rei videre, & rem ipſam, quæ ſpecie repræſentatur. Videam igitur hoc modo ſpeciem ſive ideam cogitationis, certus tamen eſſe non potero, ſalvâ methodo meâ, cogitationem iſtam, quam hæc ſpecies repræſentat, exſtitiſſe unquam; quod ſpecies ea, docente Carteſio, aliunde eſſe poſſit. Tandem, quid de DEo fiet? An dicam, me ope hujus methodi DEum inveniſſe, verum, fallere neſcium, & ceſſare jam tum dubia, quæ deceptorem DEum inferebant? Non dicam: nam quid ſi hujus etiam meæ cogitationis cauſa ſit deceptor aliquis Spiritus, potens ille & callidus; Oppoſitum utique clarè & diſtinctè non video. Et ponam, DEus hoc caſu me non decepit, certè ipſe mei deceptor fui, ut qui præcipitavi judicium hoc, quod ſuſpendere debebam, donec clarè & diſtinctè percepiſſem, ab hâc definitè causâ, non ab aliâ quadam poſſibili, ab objectis ipſis (quod vult Carteſiana methodus) non immediatè à DEo, à veris, non ab imaginariis mentem meam affici: nihil hîc definiendum ſubitò erat; ſed ad ſummum dicere debuiſſem, poſſe inde vel inde, à tali vel tali causâ effectum illum prognatum eſſe aſſignando poſſibilem cauſam, quæ qualis de facto ſit, ego neſciam; ita verò & hic, ut ubique, anceps hærebo. En uti in Scepticiſmi foveam deducere valeat Carteſiana dubitandi methodus!

§. 20. Hanc quomodo incruſtaverint plures ex Carteſii diſcipulis (non enim de omnibus id aſſeveraverim, quando plures objectis difficultatibus territi blandiore uti in tradendis iisdem dogmatibus pigmento allaborarunt) nunc non ediſſero; ad

Maſtri-

Maſtrichtium provocare in hoc argumento rurſus liceat *Gangr. p. 27. ſeqq.* & facilè durior horum hominum ad Scepticiſmum graſſandi induſtria atque ſtudium apparebit.

§. 21 Jam nihil prohibet, quo minus uti omnem, ita & hunc Scepticiſmum, non periculoſum modò, ſed &, ut mitius dicam, quibusdam ſaltem ingeniis tali offendiculo poſitum dicamus, quo ad Atheiſticas opiniones amplectendas proniores fiant. Etenim ſi *de omnibus* dubitandum eſt, *etiam de Divinis rebus, etiam de Scripturæ authoritate, etiam de teſtimoniis illis, quibus rudimenta religionis confirmantur* (quæ acerbiſſima *Wittichii* ſententria eſt *in Præf. ad Theol. Pacif.*) *quamdiu hæc omnia clarè & diſtinctè non percipiuntur*, jam actum eſt cum teneris mentibus; illi enim, cum eluctari è dubitatione per ingenii imbecillitatem non poterunt, denique pro vero nihil agnoſcent; præterea habebit diſſolutum hominum genus, quo ſe perpetuo tueatur, &, cùm DEum exiſtere non vult, neſcio quid non excogitare poſſit, ut cuique demonſtrationi aliquid reſpondeat, ſaltem, ne profanum videatur, quamdiu claram ſibi & diſtinctam de DEo perceptionem non ſuppetere hactenus, prætendiſſe licet. De ingeniis ad arrogantiam & litigia curioſa natis haud melius præſumendum eſt; nam, dicente Eraſmo *de rat. veræ Theologiæ fol. 84. ſæpenumerò fit, ut omnia curiosè magis, quam piè inveſtiganti quædam rationes occurrant, quæ nonnihil convellunt ac labefactant fundamentum & fidei robur.* Sic *Matthæus Paris* Simonem Thurvajum jactitantem introducit: *Totum ſe ſcire Chriſti Evangelium, & improbando poſſe illud annihilare*; quod *ex Spizelio* refero *de Atheiſmo eradicando p. 22.* qui idem *ex Langio in Chronico Ziticenſi f. 305.* memorat, *in Academiâ Oxonienſi maximis aliquando rixis diſquiſitum eſſe: Anne etiam DEUS eſſet? unde Agnellus vir humilis ac beatæ vitæ* (ita Langius) *cum & ipſe ſtudium in Oxonienſi conventu inſtituiſſet, & poſt tempus modicum, cùm audiviſſet ſemel inter ſe clamosè diſputantes, utrum iſta Propoſitio ſit vera: DEUS eſt: Zelo accenſus ac multum turbatus ait: Heu me! Simplices & illiterati ad DEum rapiuntur, & iſti literati, DEum eſſe, ponunt in quæſtione; & exin ſtudium revocavit.* Tantùm ſcil. poterant ad pervertenda hominum ingenia ſcrupuloſæ diſceptationes de rebus extra dubitationem poſitis! Quare penitus aſſurgo

Spizelio

Spizelio, qui ex hoc fluere fonte dicit quod *tantus ubique impiorum proventus est. Hinc*, addit, *ea, quæ Atheismum in mundum evexit, vanitas, cùm Vir humanitus prudens tot contrarias sententias defendi deprehendens, facile eo delabatur, ut Religionem merum credat esse figmentum.* Et quidni hinc factum esse putem, ut exstiterint, qvi de omni Religione dubii, sive hanc, sive illam, amplectendam esse præceperunt?

§. 22. Nova hæc, sed priori valdè affinis, imò illam ferè supponens, ad Atheismum via est, quam illi insistunt, qui *unicuique integrum relinqui cupiunt, quam velit religionem colere atque tueri, ideò, quod cum opinionum de Religione Libertate, Sathanæ Regnum diu consistere non possit*; quæ *Jacobi Acontij* sententia est *L. 6. de Stratag. Sathanæ p. 267.* A quo non longè abiens, *Thomas Brownes*, Medicus Anglus, *in Religione Medici, Sect. 3. p. 6. 7. eandem cum fidei adversariis*, sed Christianis, *fidem, idem necessarium principiorum Systema dissentientibus cum illis commune esse* existimat, unde *ipsi Religio non sit, eorum familiaritate & consvetudine uti, illorum Ecclesias adire, quoties nostræ præsto non sunt, adeoque unà, aut cum illis, aut pro illis, vota facere &c.* Et, quanquam *Ecclesiam Anglicanam in Articulis fidei sequatur, non* tamen *hoc est crediturus, quod Lutherus affirmaverit, nec illud repudiaturus, quod improbavit Calvinus; imo nec in universum displicere sibi ait, Concilium Tridentinum, nec sibi in totum approbari Dordracensem Synodum. Ecclesiam sibi Textum esse vult, ubi silet Scriptura, ubi ea loquitur, commentarius; ubi utraque in silentium consensit, nec Roma, nec Geneva ipsi Religionis Canones præscribit, sed eos ipse à judicij sui dictamine petit, Sect. 3. p. 30.*

§. 23. Mirum vero fuerit, si illa statuenti de rebus fidei licentia non in apertam tandem negandi Numinis vesaniam abeat. Certe qui ex ingenio & placito Religionem amplectitur, DEUM etiam ex ingenio sibi fingit, cùm verus ille & sanctus absque verâ Religione in animis hominum nullus sit: Pone verò, omnem amplectenti Religionem minimè succensendum esse, jam & ille excusari poterit, qui contradictorias veritatis optimè constare sibi, & mereri assensum posse, existimat. Ita verò & agnoscere DEUM & inficiari perinde futurum est, nec culpandi amplius obstinatissimi mortalium ex mediâ infidelitate, erunt, qui-

bus nullum de vero DEo sensum esse compertum est. In hoc argumento, quod magni omninò ponderis est, sulteriꝰ deducendo occuparer, & quantopere in isto Religionum indifferentissimo asserendo, hallucinentur & aberrent, tum *Libertini (quorum Religio est, nullam Religionem æstimare*, juxta *Hornbeckium in Summa Controv. L. 6. p. 390.* Qui *Henr. Nicolai* cum *Familia sua Caritatis* huc imprimis refert p. 393. seqq.) tum *Arminiani*, & *Quodlibetici* & qui cum *Puccio*, *Angelo Mariano Fovvlero*, deniq; cum *Postello* (quem *Deistarum* in Gallià *Parentem* nonnulli vocant, vid. *Spizelij infel. literatus p. 361. seqq.* Quique *ex omnibus Religionibus unam conflandam esse svasit*, *L. de orbis terræ concordia*) faciunt, id uberiori commemoratione ob oculos ponerem, nisi hæc & à Theologis explicata sæpiùs fuissent, & haud ita pridem *Maxime-Rev. Dn. L. Seeligmannus in Disput. Inaugur. Rostoch. hab. de Credendi & Sentiendi Libertiniſmo* (cui *in Programmate* præiverat *Magnif. Dn. D. Schomerus*, Patronus noster singularis) rem hanc omnem dilucidè proposuissent; quanquam & in hac Academia nuper ventilatum hoc argumentum est *in Disp. de Religionum Indifferentiſmo.*

§. 24. Neque verò nunc de iis etiam ero sollicitus, qui in Aulâ inprimis versantes, atque inde *Aulico-Politicorum* Nomen adepti, nolunt, ut *uni Religioni ita se quisquam mancipet, quo ei tenaciter adhæreat*: *Religionem Prudentum* hoc pacto amplectentes, quam *in Gallia imprimis & Belgio jactatam suo tempore* testatur *Hülsemannus de Auxil. Gratiæ p. 479.* eandemque haud parum juvatam *à Grotio* existimat, qui in explicatione Scripturæ *standum esse interpretationi & decisioni Virorum prudentum judicaverat*; Quanquam *Krom. in pec. de Relig. Prudent. Dissert.* Grotiũ ex alio causæ momento hîc accusat, quòd ipse diversis addictus sectis, diversarum etiam placita in Scriptis suis disseminaverit; quo de singularem recenset observationem *ex Henr. Valesii Orat. in obitum Dion. Petavij, Jesuitæ, Paris. 1653. habita*, *Spizelius L. alleg. p. 13. seqq.* Quod superest non ego ampliùs *Epicuri* de grege porcos recensebo, quos in omnem Spurcitiem pronos, & nostra alunt secula, Magistrum suum, quamvis in plerisque rectius sentientem, secuti, qui *DEUM nec generalem totiꝰ mundi, nec specialem hominis habere curam* asseverabat. *Vid. Gassendus de Epicuro p. 62. 77. seqq.* *Qui vero Providentiam DEI*

negat

negat, ipsum DEUM negat, inquit *Plato L.10. de Legibus.* Pertinent hæ Atheismi formæ ad negatam, potissimum in Praxi, Numinis existentiam, & præterea toties ab aliis profligatæ sunt, quos allegat & commendat *Dn. Pfeifferus in Pogr. supra laudato*, itaque nec investigationi uberiori nostræ, nec examini impræsentiarum subjicientur.

§. 25. Ad ravim usque actum est cum furiosis hominibus, quibus vel sensus Numinis obnubilatus erat, vel sublevatio ejusdem per conficta hypotheses varias curæ cordiqve videbatur, nonnullis tamen præter animi sententiam obveniebat. Neqve verò difficile erat adductis rationum momentis, quod dixi, evincere, cum vel ipsi sententiarum Auctores proderent arcana animi, ad negandam Divinitatem inclinantia, vel saltem proponere videbantur talia, quæ intelligenti cuique & præjudiciis non occupato suspicionem movere de latente noxio in herba angve poterant. Sed id fortè alicui absonum videatur, quod nunc dicendum est, nec tamen asseverare dubito; illorum quoque placita ad Atheismum, sed illum subtiliori viâ inferendum, directa esse, qui ad *negandam* non DEI, sed *Dæmonum & spirituum malorum existentiam* in hoc saltem mundo, eorumque *operationem inter homines tollendam* conspirarunt. Erit de illis inferius ex instituto dicendi locus, sed tamen & hic notasse opus est, fuisse in hac societate, qui ex negatâ Dæmonum in hoc orbe præsentia ad majorem DEI Cultum perduci homines posse existimarunt, quæ novissimi in Belgio Scriptoris *Balth. Bekkeri* toties inculcata *in Opere suo*, De Betoverede Wereld / inscripto, sententia est. Quicquid tamen ejus rei sit, ego illos, qui ita sentiunt, magnopere deceptos arbitror, & quanquam aliud forte ipsorum institutum erat, hac ipsâ certè hypothesi sua ad Atheismum grassatos esse existimo.

§. 26. Etenim hoc asserto in valescente, quod nulli existant in mundo Dæmones, bina evertuntur, eaque gravissimi omninò ponderis, Christianorum argumenta, quibus Divinitas Servatoris nostri olim asserta fuit, hodieque defenditur, posthæc Religionis Christianæ veritatem contra infideles tuemur; tum verò obviam ire Atheis, & eorum eludere strophas valemus.

Quod ad prius attinet, ego, si veterum rationes excutio, quibus Christum asserere DEUM conabantur, ab illis frequentissimâ collectione ex eo refutatas Gentes deprehendo, quod Divina Illi Potestas adscribenda sit, cujus vel audito nomine contremuére Dæmones, & relinquere Domicilia sua, diu quandoque possessa, coacti fuerunt; neque illa falsa esse queat Religio, quæ fugare Diabolum, & ejus evertere conatûs possit. Magnam Patrum familiam hic in medium adducit *Celeb. Leydekkerus in Dissertatione* nuperrimè editâ *Historico-Theologicâ de vulgato nuper Cl. Bekkeri volumine*, quæ, quia in paucorum manibus huc usque versatur, non pigebit, ex ipsius recensione unam alteramve Doctorum priscæ Ecclesiæ hâc de re sententiam in medium adduxisse. Insignis locus est, quem *in Apologiâ pro Christianis Justino Martyri* debemus; ita enim ille ad Senatum Romanum: *Hoc ipsum ex his, quæ sub aspectu vestro fiunt, intelligere potestis. Multos arreptitios per totum orbem, & in hâc ipsa Civitate, multi ex nostris Christianis adjuratos per nomen JEsu Christi, sub Pontio Pilato crucifixi, sanarunt; quos nec incantatores expiatoresve sanare potuerant, & adhuc sinare pergunt, Dæmonia profligando ex obsessis hominibus.* Et *Tertullianus in Apologetico c. 23. Christum timentes* (Dæmones) *in DEO, & DEum in Christo, subjiciuntur servis DEI & Christi. Ita de contactu, de afflatu nostro, contemplatione & repræsentatione ignis illius correpti, & de corporibus nostro imperio excedunt inviti, & dolentes & vobis præsentibus erubescentes.* Addit deinde, ut infideles magis in ruborem dare, tanquam ingratos, possit. *Quis autem vos ab illis occultis, & usquequaque vastantibus mentes & valetudines vestras hostibus raperet? A Dæmoniorum incursibus dico, quæ de vobis sine præmio, sine mercede depellimus. Sufficisset hoc solùm nostræ ultioni, quod vacua exinde possessio immundis Spiritibus pateret.* Præ reliquis audiendus est *Cyprianus, L. contra Demetrian.* quàm ille inperterrito sermone cultum DEi sanctissimum ex hoc eodem argumento tueatur: *Osi*, inquit, *audire eos* (Dæmones) *velles & videre, quando à nobis adjurantur & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessorum corporibus ejiciuntur, quando ejulantes & gementes voce humana & potestate divinâ flagella, & verbera sentientes venturum judicium confitentur. Veni & cognosce vera esse, quæ dicimus. Videbis nos rogari ab*

ri ab eis quos tu rogas, timeri ab his, quos tu times, quos tu adoras: videbis sub manus nostras stare vinctos & tremere captivos, quos tamen suspicis & veneraris ut Deos. Certè vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, cùm conspexeris & audieris Deos tuos ad interrogationes nostras statim procedere, & præsentibus licet vobis præstigias illas & fallacias suas non posse celare. Alio loco, nempe *de Idol. Vanit.* hæc habet: *Hi tamen adjurati per DEum verum nobis statim cedunt, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce & oratione occultè flagellis cædi, igni torqueri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari, unde veniant, & quando discedant, ipsis etiam, qui se colunt, audientibus confiteri, & vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis adspirat.* Addo denique *Lactantium, Instit. L. II. c. 16 Justos autem*, ait, *id est, Cultores DEi* (de Christianis loquitur) *nebulunt, cujus nomine adjurati de corporibus exeunt. Quorum verbis tanquam flagris verberati, non modò Dæmones esse se confitentur, sed etiam nomina sua edunt, illa quæ in templis adorantur, quod plerumque coram cultoribus suis faciunt, non utique in opprobrium Religionis, sed honoris sui, quia nec DEO, per quem adjurantur, nec justis quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaq; maximis sæpe ululatibus editis, verberari se, ardere, jam jamque exire proclamant.* Atque iterum: *Hi verò iidem Dæmones adjurati per nomen DEi veri, protinus fugiunt.* Et denuò: *Hi enim fugitant justos & pavent, & cum corpora hominum occupant, animasque divexant, adjurantur ab his, & nomine veri Dei fugantur; Quo audito, tremunt, exclamant, & uri se verberariq; testantur, & interrogati qui sint, quando venerint, quomodo in hominem irrepserint, confitentur. Sic extorti & excruciati virtute Nominis Divini exulant.* Quod si nunc ad Eusebium quoque provocarem, longa omninò foret argumentorum ejus, quæ ad hunc scopum collimant, repetitio: Probaverat ille *in Præpar. Ev. L. 4. c. 1.* quod Christiani, *cùm viderent Dæmones inexspectatâ formâ sese ostendentes, & responsa eorum perciperent, spreverint eos* & contempserint; sed *L 5. c. 1.* id sibi rursus demonstrandum sumit, quod *multorum Populorum vaticinia & Oracula, improborum Dæmonum propria fuerint; Quæ omnia post Evangelicam Servatoris nostri doctrinam sublata defecerint.* Ita verò illi ex fugâ & ejectione Dæmonum Christianæ Religionis Veritatem, & Servatoris sui Gloriam

riam asserebant; quale quid infrunitum opus fuisset, si ne quidem existere Dæmones & circumagrare in mundo, objici iisdem & demonstrari potuisset. Corroborarem hoc, quod hactenus explicavi, argumentum, si me ingerere in Theologorum castra vellem, idque probatum dare, quod Christo ipsi placuerit hâc ratione uti, ut verum sese Messiam commonstraret, quoniam, ubi & quando volebat, verbo ejus cedere Dæmones cum maximâ sæpè anxietate suâ cogebantur. Sed illud tamen inprimis miror, quod infensissimi Divinitatis Christi hostes, *Crellius* pariter atque *Smalcius* hoc ipso ratiocinio usi fuerint, ut & Deum dari, potestatem Christi Domini supra etiam Angelos se extendere demonstrarent; non adscribam ipsorum verba integra, quoniam Auctores ipsi in manibus versantur: At verò *Smalcius Libro de Divinitate Christi c. 16. hos qui negant Diabolos esse, Religionem negare, & Atheos esse* asserit. *Nam eos*, pergit, *qui negant Diabolos esse, facilè credimus etiam negaturos DEum esse, & hunc quidem ad Atheismum gradum statuimus &c.* Sic *Crellius L. de Deo & Attrib. ejus c. 6.* ostensurus, Deum esse, quia dantur mali Spiritus; *Nemo est*, inquit, *qui plane persuasum habeat, spiritus hujusmodi exstare, quin etiam credat, DEum seu numen aliquod esse, maximè, quod nullus in humano genere virtuti locus esset, nisi aliquem illis potentiorem ponas, qui eorum potentiam coêrceat, &c.* In subsequentibus demonstrare nititur Crellius, *ex Oraculis artibusq; Magicis, Pythonicis, Necromanticis, quod tales extent Spiritus*; atque eo ipso ad alterum collectionis nostræ argumentum nos deducit.

§. 27. Etenim quid notius est, quàm ut confusioni Atheorum solidissimum ab Effectibus Magicis opponamus argumentum: Adeò prolixè hoc ipsum tractant *Vasquezius Tom. 1. Disp. 22. c. 4. & Spizelius L. alleg. p. 36. seqq.* ut ferias illi nobis feciisse videri possint; res etiam de se patet; nam si acquiescendum veneficis & Dæmonum Cultoribus est, si cessant actiones validissimæ, quæ non ab alio quàm spirituali principio proficisci possunt, quando illis superior quædam vis advenit, jam fortior dabitur & magis excellens potestas, eaque omninò infinita, quæ compescere agens potest, nullis hominum & naturæ viribus cohibendum; id quod cùm plurimis in Angliâ Belgioque opponeretur, à quibus

bus negata hactenus Dei existentia fuerat, si Vasquezio habenda fides est, ad saniorem mentem eos perduxit.

§. 28. Ad finem propero, ubi illud prius confirmationi eorum, quæ hactenus dicta sunt, adjecero; quod nihil magis videri absonum potuisset olim, quàm si DEus, cùm pellebantur Dæmones à Christianis, Religionem suam fallaci comprobatam dare signo passus fuisset, id enim Revelationi directè repugnat; quod argumentum maxime urget *Stilling fleetus Orig. Sacr. L. 2. c. 9.* fallax autem omninò obtinuisset signum, si nulli unquam Dæmones, qui pelli & ejici poterant, exstitissent. Quo itaque magis adversa opinio, quæ Dæmones negat, in confirmationem veræ fidei injuria est, & (quod observationem omninò meretur) tot seculorum tractu comprobatam oppugnare Experientiam nititur, pessimo certè exemplo, unde rursus ad Scepticismum prona reddi ingenia possunt; eò clarius Atheismi fundamenta ponit, & Existentiæ Divinæ asserendæ repagulum objicit, quodè medio tolli difficulter potest. Hoc verò erat, in quo ostendendo præsens nostrum studium occupari ex ratione instituti debebat.

S. D. G.

Q. D. B. V.

Dissertatio II.

Ortum Dæmonologiæ falsæ & Progressum historicè declarans,

Respondente

JOHANNE Furmann/ Bistriciô Transs.

§. 1.

DIsseram de Dæmonibus, atque in id enitar, ut constet, quàm improvidè & contra rationis, (cujus solius ductum sequor) apertissimum dictamen senserint, qui

qui tum noſtris, tum Patrum temporibus vel negare omnem Dæmonum exiſtentiam, vel falſis illorum naturam lineis pingere inſtituerunt. Hoc ut rectius faciam, opus ab initio ordiar, & quomodo per varias olim temporum gentiumque differentias, falſa hæc & à ratione aberrans Dæmonologia propagata fuerit, id verò præſenti explicandi operâ oſtendam. In quo argumento non de Nomine Dæmonum multum diſputabo; judicet *Plato in Cratylo* p. 397. ſecutus Heſiodum; τὲς δαίμονας, ὁ τι φρόνιμοι, καὶ δαήμονες ἦσαν, δαίμονας αὐτὲς ὠνόμασε. Dæmones appellatos eſſe quaſi δαίμονας, h. e. rerum intelligentiâ & ſapientiâ valentes; idque ideo, quoniam qui bonus mortuus eſt, magnæ cujusdam ſortis conſequatur dignitatem, & δαιμόνιον ſit, ex illa ſapientiæ appellatione. Alii, non refragante Euſebio, Dæmones dictos putent à δαιμάινω, quod eſt pavefacio, terreo, quoniam Dæmonum ſpectrorumque proprium fere eſt, ut terreant: Steuchus tandem Eugubinus *de perenni Philoſ. p. 512. ſeq.* Pro Hebraica vocis origine depugnet. Nobis perinde eſt, quamcunque demum amplecti ſententiam ex recenſitis placeat; dummodo id non omninò negligatur, quod vocabuli derivatio ſenſum plerumqve eorum reſpiciat, qui Nomen ipſum rei per illud denotatæ impoſuerunt. Horum placita evolventi patebit, non ſemper terrendis hominum mentibus, ſed excitandis lætificandisqve adhibitum fuiſſe nomen, quod ex priſca ſapientum Philoſophiâ, & bonis manſvetisque Intelligentiis, & terribilibus ac maleficis applicandum erat.

§. 2. Ita enim accepimus, Gentilium Philoſophos ipſum quandoqve DEum, mox bonum quemcunque Genium, demum Intelligentias ad omne malum compoſitas, Dæmonum Nomine appellitaſſe. Quanquam enim nihil penes eos frequentius erat, quam ut Naturæ inter DEos & homines Mediæ (uti deſcribebant Intelligentias) Dei quoqve appellationem tribuerent, non tamen religioni ſibi ducebant, præterea ſuppremum & ſingularem Deum titulo Dæmonis inſignire: Taceo de Homero, Ariſtophane, aliisque; vetuſtiſsimus inter Sapientes Paganos *Orpheus* de Jove loquens ita canit:

Ἐν κράτος, ἓς δαίμων γένετο, μέγας ἄρχος ἁπάντων.

Imperium, Dæmonque unus, mundiq; ingens Rex.

De bonis Geniis manifestior res est, & frequentissima horum sub nomine Dæmonum appellatio. Infinita prope loca hic cumulare possem, si argumentum illud prolixa explicatione indigeret. Certe *Plato in Sympos.* Dæmones ferè tantum refert ad Intelligentias, quæ nobis Angeli boni sunt. *Etenim omne Dæmoniorum genus*, inquit, *interjacet inter DEum, & mortales, referens Diis res humanas, hominibus divinas, hominum quidem preces & sacrificia, Deorum imperia & præmia sacrificiorum* &c. quæ de Natura & substantia hominibus bene cupiente, sicq; tantum de bonis Angelis intelligenda esse, nemo non videt. *In Epinomide & Timæo* perpetuum propè est, ut beneficæ inteiligentiæ Dæmonum appellatione salutentur. Quid dicam de Maleficis & humano generi noxiis? Provoco *ad Steuchum Eugubinum*, quo nempe fusius & majori opera ostendit, quod ad substantias pessimas, Deo tamen & hominibus contradistinctas, hoc nominis traductum ab antiquis sapientibus & studiosè applicatum fuerit; *Vid. ille de Perenni Philos. Lib. 8. Cap. 26. 27. 28.* Sed illud peculiare est, & observationem meretur, quod non Deum modo, non Naturas tantùm inter DEum & homines medias, sed ipsos quandoque homines Dæmonum venisse Nomine Gentilibus, compertum est.

§. 3. Non potest hæc in apertam lucem deduci sententia, nisi de Distinctionibus Dæmonum, quas fingebat vetustior persvasio, clarius constiterit. Sed & hîc intricata res est, cum, quos alii Dæmones dicerent, illi per aliorum placita ex Numero Dæmonum excluderentur, nonnunquam & varia Dæmonum genera mirè interse permixta ac confusa proponi solerent. Ut tamen in his tenebris, quantum fieri potest, faces quasdam veritati accendamus, id dico, quod Gentiles præter Deum summum aut Deos (quos multi, meliora sentientes ex vulgi tantum metu plures asserebant) constituerint Dæmones specialiter ita dictos & Heroas: Ægyptiorum antiquissimam in hoc negotio Theologiam breviter nobis videtur complexus esse Jamblichus de Mysteriis Ægyptiorum: *Primum*, inquit, *Divinorum est ipsum Bonum (i. e. summum) Diis sequentes: ultimum Particulares animationales*

valet; horum media duo sunt, scil. Heroes prope animas, & Dæmones prope Deos: Heroes potentia, virtute, pulchritudine, magnitudine nobis præstant, tamen cum animâ nostrâ & vitâ ejus multum congruunt: Dæmones sunt superiores Heroibus & ministri eorum tanquam in opificio mundano. Quæ sunt in Diis ineffabilia & occulta, Dæmones exprimunt atque patefaciunt. Dæmones & Heroes accommodant inferioribus universales, simplices, immobiles Deorum dotes, & conciliant omnia, atq; harmonici consensus & compassionis omnium invicem sunt authores &c. Dum Dæmones appellat Jamblichus, constat quod de iis locutus fuerit substantiis, quas communiter Intelligentias dicebant, medias inter Deum & homines: sed quæras, quinam hoc loco Heroum nomine veniant, cum pateat illos Dæmonibus in adversum poni? Res benè intelligenda est; Quos Jamblichus Heroas appellat ex Ægyptiorum sententia, eos Plato, qui ab Ægytiis, Plutarcho teste, doctus erat, in numerum Dæmonum compingit: quod de eo fatetur Hierocles Stoicus, qui Pythagoræ Carmina enarrans ex Platonis sententia, ait, *genere Dæmonum & Angelos & Heroes comprehendi, ut quantum ad cœlestes spectarit, dicantur Angeli: quantum ad terrestres, Heroes: quantum ad medios, Dæmones.* Imò vcrò Heroes in ordinem Dæmonum refert *Plato in Epinomide*, &c. ἡμιθέους vocat, *generatos altero Parente Deo, altero mortali, quod ait in Cratylo;* hucque refert *Herculem Dionysium, Æneam, alios q;* quamvis sibi ipsi vix constans, eodem loco Dæmones dicat esse *probos homines, quibus post mortem id præmij sit datum, ut Custodes essent, & quasi Mediatores generis humani.* Qvod quamvis in hunc sensum intelligi possit, ac si Heroas hos post fata demum in Catalogum Dæmonum referri, Plato censuerit, clarius tamen se explicat mox *in eodem Dialogo*, loco ante adducto *p. 397.* Nam cum sententiam Hesiodi retulisset, quâ mentes Dæmonum appellatæ erant nomine, postquam eos fatalis condidisset hora id ipsum exponens Plato, *de Viris aureis* h.e. *bonis sapientibusq;, intelligi debere prædicat, non mortuis tantum, sed & viventibus:* Ad *hunc ergo modum* ait, *assero equidem sapientem, quisquis bonus fuerit, viventem & vitâ functum Dæmonium esse, rectèq; Dæmonem vocari;* Cui assensus Hermogenes, *ire se in ejus* (Hesiodi) *sententiam fatetur.*

§. 4. Dum hæc refero, hactenus Platonem sentio. id honori tribu-

tribuisse Virorum sapientum & optimorum, quod Dæmonum haberentur loco, sed constat tamen, alios, inprimis Plotinum, (quem ferunt ceteris excellentius intellexisse mentem Platonis) in *primo Libro de dubiis animæ*, Dæmonum appellatione post mortem pessimos etiam mortalium mactasse; quamvis non bonorum Dæmonum numero, sed eorum, qui nocent, & criminum rei sunt, eosdem adscriptos velit. Male id habet *Augustinum*, unde *in Lib. 9. de Civit. Dei Cap. 11.* sententiam Plotini his verbis refert. *Dicit equidem & animas hominum Dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt, lemures seu larvas, si mali.* Et post pauca: *Larvas proprie esse noxios Dæmones ex hominibus factos.* Quo loco, ne uberius de Larvis, Lemuribus, Manibus, Geniisque ex sententia Gentilium dicam, egregia Commentatione, quam hic addit, & rem omnem distincte explicat, prohibere videtur *Ludovicus Vives*, ad quem provocasse suffecerit. Plotino multo vetustiorem jungere possem Pythagoram, ille enim teste *Laërtio in Vit. Pythag.* totum aërem animis ψυχῶν esse plenum putabat, καὶ τούτους δαίμονάς τε καὶ ἥρωας νομίζεσθαι, *i.e. eosq; & Dæmonas & Heroes existimari:* de illis (ita *Plutarchus Lib. 1. de Placit. Phil.* Cap. 8.) censebat, *quod genij sint & substantiæ animâ præditæ: De his, quod sint animæ à corporibus separatæ & bonos quidem Heroes, si animæ bonæ; malos, si malæ.*

§. 5. Quid autem mirum est, quod homines promiscuè omnes Dæmonum veniisse Nomine, priscis Authoribus deprehendamus? ipsi certe nescio quos tandem sibi fingebant Dæmones: cum sæpe non animas, sed partem tantùm quandam illius, nempe mentem, Dæmonium esse assererent. Porphyrius certe, Plotini Discipulus, *Dæmonem* dicebat *unicuiq; proprium, esse quandam animi partem, nempe Mentem, illumque esse felicem* & εὐδαίμονα, *qui sapientem sortitus est mentem; infelicem, qui contra:* addit: *animas quoque vitiis infectas in malorum Dæmonum naturam transire, reddiq; illorum similes mendaciis & imposturis.* Consentit *Apulejus*, & *animum humanum*, etiam *uti nunc in corpore est*, δαίμονα *nuncupari asserit*; Vid. Ludov. Vives l. c. Ex quibus omnibus id colligo, quod quanquam illi, quos Heroes dicebat Plato, ipse Animas esse voluerit hominum tantùm sapientum à Corpore separatas, non negasse tamen, quod viventibus etiam Viris bonis, & optima mente vel

animo præditis Dæmonum appellatio, tanquam quid excellens & in laude ponendum, competat. At non hic subſtitiſſe auditores Platonis, ſed Pythagoram aliosque ex antiquioribus Philoſophis ſecutos, improborum etiam hominum animas poſt exitum à Corpore in numerum Dæmonum ſed malorum revocaſſe credendum eſt. Plura de Heroibus, vid. *ap. Ludov. Vivem l. c. p. 601. ſeq.* Conf. etiam *Heinſius introductione ad Heſiodi opera & dies, Cap. 10.*

§. 6. Sed hos omnes tandem, quos dixi, utpote humano generi propius accedentes, omninò ſegregatos Philoſophi illi volebant à Dæmonibus in ſpecie ita appellitatis, quorum nempe natura propiori nexu Deos contingeret: Hic vero prolixa nobis dicendi copia panderetur, ſi inquirere in omnes horum Dæmonum confictas ſpecies conaremur. Plato fere tantum de bonis Dæmonibus (quos cum malis confundit) *in Epinomide* & *Sympoſio* vult intelligi, quos in aere verſari putat, & legationibus à Diis ad homines fungentes, quin ab his ad Deum reduces precum delatores & ſupplicationum eſſe declarat. Sed alii ulterius progreſſi, mediam inter Deos & homines naturam conſtituebant, eamque non tantum eorum, qui bonum operarentur, ſed qui ad omne malum & ſcelus inclinarent. Hos omnes locis plerumq; ſuis diſtingvebant, præeunte Orpheo, qui ad Muſæum ſcribens, conſtituit δαίμονας ὑπερίους, καὶ ἀερίους, ἠ ἐνυδρίους, ἠ χθονίους, ἠ ὑποχθονίους, *Dæmones cœleſtes, & aëreos, & aqueos, & terreſtres, & ſubterraneos.* Qua partitione non contentus *Marcus* quidam, (qui in Cherſoneſo, Græcis conterminâ, ſolitariam vitam egerat, & ſi quis alius, in Dæmonum cultu profecerat, inſpexeratque apparitiones Dæmonum) apud *Michaelem Pſellum Lib. de Dæmonibus p. m. 336. ſeqq ſex* conſtituit *Dæmonum Claſſes*, pro *cœleſtibus igneos* allegans, & tandem *Luciferum ſeu tenebricoſum genus* adjiciens, de quibus omnibus quomodo ſe transforment, nobis inſinuent, nosq; moveant, varia, ſed non ſine riſu dimittenda, narrat. Et, ſi à Gentibus abire vellem hîc allegandus mihi *Trithemius* foret, ille plusquam paganâ fide fabulas has de vario Dæmonum genere prolixo ſermone referens *L. 8. Quæſt. ad Maximilian. Cæſar. Quæſt. 6.* Verba ejus deſcripſit *Delrio in Diſquiſit. Mag. L. 2. Quæſt. 27. Sect. 2.* & notis ſuis illuſtravit, quem eo libentius hic allego, quoniam

pro

prolixâ commentandi operâ de Dæmonibus non tantùm aëreis, ſed & aqueis (quæ Poëtis frequentisſime memorantur utpote *Najadibus, Nereidibus, Nymphis*, &c. aliisque maſculini ſexus & terreſtibus, uti *Faunis, Satyris, Lamiis, Furiis, Larvis*, &c.) nos hac vice ſublevavit, cui addi poteſt, qui & hic Delrionem κατὰ πόδα, uti ſolet, ſequitur *Gaſp. Schottus in Phyſ. Curioſ. L. I. C. 12. ſubſequentibus paſſim*.

§. 7. Enimvero quid tandem de hac Gentilium in enarrandis Dæmonibus ſuis induſtria & perſvaſione dicendum eſt? an credemus, ſi non Deos, tamen Heroes & Dæmones eodem illis veniſſe cenſu, ut & nobis hoc loco de utrisq; res eſſe debeat. Ita vero exiſtimaverit, qui in Hiſtoria & ſcriptis Gentilium Philoſophorum hoſpes eſt. Certe quomodo Ægyptii inter Dæmones, Heroes, Animas diſtingvant, ex inſtituto docet *Jamblichus de Myſter. Ægypt. pag. 32. 33.* Sed placet tamen nobis maxime *Procli* in Schola Platonis verſatiſſimi Philoſophi explicatio, quam affert *Coment. in Alcibiadem Platonis. Jam vero*, inquit, *& hoc manifeſtum eſt, ubi Plato in Timæo Dæmonum ait, animalis in nobis rationem conſtitutam eſſe. Veruntamen hoc usque ad comparitionem quandam nobis eſt admittendum. Alius enim eſt ipſa eſſentia Dæmon; alius habitu vel habitudine Dæmon. Ubique enim, quod proxime præeſt, in quodam Dæmonis ordine, ad inferius ſeſe habens, appellare Dæmonem conſueverant. Quo uſu Jupiter apud Orpheum Saturnum Patrem Dæmonem appellavit. Et ipſe Plato in Timæo Dæmonas nuncupavit Deos illos qui generationem è propinquo diſponunt, ubi ait: De aliis verò Dæmonibus tractare, eorumque generationem in lucem edere majus eſt quam ferre humanum poſſit ingenium. Comparatione utique Dæmon eſt ejusmodi, qui videlicet proximè unicuique providet, etiamſi Deus ſit, ac etiamſi Deo ſit inferior. Habitudine vero quadam Dæmon dicitur animus, qui ſimilitudine quapiam ad Genus Dæmonum, mirabiliores quàm ſecundum hominem, actiones edit, totamque vitam ſuam ſuſpendit ex Dæmone. Hâc arbitror ratione Socratem in Republica, Dæmonas Animos appellaſſe, qui vitam bene tranſegerint & in meliorem translati ſunt ſortem, locaque anguſtiora* (forte auguſtiora) *jam colant; ipſe denique ſecundum eſſentiam Dæmon, neque propter habitudinem ad ſequentia, nec ob aliquam ad aliud ſimilitudinem appellatus eſt Dæmon, ſed hanc per ſe ipſum proprietatem eſt ſorti-*

tus, atque in existentia quadam, viribusque propriis, modisque differentibus actionum est distinctus. Omnino *verò anima quidem rationalis, in Timæo, Dæmon animalis est appellata.* Clarius verò nihil dici poterat, quod ad distinctionem Nominis & rei, quæ Dæmon dicitur, apprimè conduceret; quanquam in eo dissentiat Proclus à reliquis, quod subinde detestetur, animam nostram simpliciter Dæmonem appellari; *Dæmonem enim mediam quandam esse naturam,* dicit, *inter homines & Deos; & quamvis tandem concedi queat, ut Dæmonis appellatio animæ nostræ per quandam comparationem tribuatur, non tamen id admittendum esse, ut animæ quædam pars, vel id, quod præcipuè in ea operatur, vel ut Ratio in sanis, Affectus in perturbatis, Dæmonis nomine veniat:* In quo & ab Apuleji & à Porphyrii sententia, multum recessisse deprehenditur. Id verò neminem malè habeat, quod inter Dæmones bonos & maleficos non distinxerit Proclus, ego illud inde accidisse puto, quoniam ei satis erat, hos, qui essentiâ Dæmones sunt, abs reliquis segregasse. Illis verò & virtute & malitiâ insignes, comprehendi, palam est. Etenim ita omnino Gentiles hoc quicquid est nominis tribuebant mediæ inter Deo & homines naturæ, illi *Deorum Ministræ*, sicut Apulejus ex Platone ait, ut *appellationem quidem toti naturæ communem, suppositæ autem multum inter se diversa crederent, eorum qui vel bene vel male operarentur.*

§. 8. Imprimis verò pessimæ cohorti illorum, qui tantum in scelere occuparentur, appellationem Dæmonum aptabant. *Plutarchum de Cessat. Orac.* testem habeo, *Dæmones malos* non solum *Empedoclem* scriptum reliquisse, sed etiam *Platonem, Xenocratem, Chrysippum*, addit ille etiam Democritum, de quo deinceps videbimus. Imò quod non hi tantum, sed & his antiquiores *Zoroaster, Mercurius, Trismegistus, Ægyptii, Chaldæi* Dæmones dixerint, *malos, inquinatos, sceleratorum Carnifices, feras, canes, auctores adulteriorum, cædium, sacrilegiorum, impietatis omnis, qui pœnas dent eorum, quæ peccaverint, qui inferiora loca, ne in illa detrudantur, metuant.* &c. id prolixè demonstrat Steuchus Eugubinus in laudatissimo opere *de perenni Philosoph. Lib. 7. C. 26. 27. 28. 29. 33. 34. 35.* Insignis præ reliquis sententia est Orphei, & quæ de cognitione Gentilium in hoc argumento sanè plus quàm gentili mirificè testatur, ubi in hymno ad Titanes canit in hunc modum: Δειμαι-

Δειμαίνουσι δὲ σοῦ ὀθοῆς μάγιστος ἀπειλὴν
Δαίμονες, ἀνθρώπων δηλήμονες ἀγρίοθυμοι,
ψυχαῖς ἡμετέραις, διεραῖς κακὰ προσύνοντες
ὄφρ' ἀιεὶ κατὰ λαῖτμα βαρισμαράγου βιότοιο
Σώματος ὁ τλένουσιν ὑπὸ ζυγόδεσμα παθοῦσαι,
ὑψιτενοῦς δὲ καθοίοντο πατρὸς πολυφέγγεος αὐλῆς
Ἀλλὰ σὺ ψυχῶν ἀνόγεν.

Exhorrentq́; tuum rapidum durumq́; flagellum
Dæmones humani hostes atq́; feri atq́; maligni,
Qui nostris animis vacuis infanda ministrant,
Ut semper diram vitam cum crimine ducant,
Corpore peccantes semper vinclisq́; retentis,
Excidat ut nobis summi fulgor Patris aulæ,
Sed tu Dux animorum &c.

§. 9. Non jam dijudicabo, utrum *Steuchus*, ex quo hæc refero, assensum in eo mereatur, quod Dæmonis Nomen in Theologia Gentilium *proprie tantùm malorum* fuisse asserit, uti habet Inscriptio C. 33. frequentissimum fuisse largior, ut pessimos hos scelerum auctores Dæmona appellarentur; idq́; addo, quod post Christum natum nomen Dæmonis inprimis suspectum evaserit, atque odiosum, tanquam rei maleficæ atque improbæ, non vulgo magis quàm Philosophis, (quod rectè monet *Ludovicus Vives L. c. pag. 549.* Conf. etiam ipse *Augustinus de Civit. Dei Lib. 9. Cap. 19.*) quomodo hodienum non nisi malis Spiritibus, & qui à Deo aversi, hominibusque inimici facti sunt, Dæmonum vindicari nuncupatio consvevit. Quicquid tamen hujus rei sit, id jam omnes ex dictis intelligimus, quod de existentia eorum, qui nobis spiritus maligni appellantur, prisca Gentium sapientia nullum omninò habuerit dubium. Quanquam enim & hoc loco falsa se subindè Dæmonologia proderet, dum Principem inter malos Dæmones Dei loco haberent, duplex ponentes Principium, *alterum bonorum, alterum malorum authorem, illum meliorem Deum vocantes,* ἀμείνονα θεὸν, τὸν δὲ ἕτερον δαίμονα, *alterum verò Dæmonem,* id quod ex vetustissima Chaldæorum, Persarum, & Magorum Theologia deducit, atque *Zoroastri* imprimis *Mago*, quem multo tempore ferunt bellum Trojanum antecessisse, tribuit *Plutarchus in*

L. de

L. de Iſide & Oſiride; idemque principium boni à Zoroaſtre *Oromaſten*, principium autem mali *Arimanium* dictum fuiſſe refert & ſuperſtitionem prolixè explicat. Quomodo præter hæc ab Ægyptiis præcipuus honos Oſiridi & Typhoni, illi bonæ, huic malæ in rebus mundanis cauſæ & principio, vendicatus fuerit, & hæc Numina diverſam veterum interpretationem ſubierint, denique quomodo hæc opinio de bono malovè principio ad Græcos tandem derivata, Pythagoram, Empedoclem, quin Platonem ipſum infecerit, id prolixè ibidem exponit *Plutarchus*, & egregio Commentario illuſtrat *Voſſius de Idol. Gentilium L. 1. C. 5. Conf.* etiam de aliis *Auguſt. de Civ. Dei. Lib. 10. C. 21.* Ex quâ doctrinâ Manetis deinde hæreſis profluxit, qui cùm natione Perſa eſſet, & Perſicis etiam diſciplinis imbutus, veterem Perſarum ſtoliditatem è cineribus quaſi revocare (cùm nunc quidem ne audiretur cum dogmatibus ſuis apud Perſas) allaborabat, & Scythianum quendam, hominem profanum ſecutus, (quamvis mirer, quod Theodoretus Manichæum cum Scythiano eundem fuiſſe aſſerat, *Hæret. fabul. Lib. 1. Hæreſ. ult.* conſentiente *Svida in Lex.* ſub voce *Manes*) duo ſtatuebat Principia, quæ Principio carerent, nec unquam deſinerent, invicemque contraria forent, quorum unum lucem ac bonum appellabat, alterum tenebras ac malum, ut idem ſint ac Deus & Diabolus; quos quidem ambos nonnunquam Deos nominabat, DEum videlicet bonum ac DEum malum, &c. prout prolixè recenſet *Epiphan. Hæreſ. 66. p. m. 625.*

§. 10. Enimverò quanquam, dico, hac ratione in enarranda Dæmonum doctrina falſum vero admiſcebant Veteres, ſatis tamen erat pro captu Gentilium, quod in aſſerendam Dæmonum malorum exiſtentiam ferè conſenſiſſe omnes deprehendantur. Imò verò hoc dogma ſanctum omninò & verendum habebant, ut *Plutarch. de Ceſſat. Orac. magnis laudibus eos efferendos* putaverit, *qui Genus Dæmonum inter Deos & homines conſtituerunt, ſive Orpheus is fuerit, ſive ex Ægyptiis Phrygibusve aliquis*, uti ab utrorumque ceremoniis conjici poteſt. Quin idem *Plutarchus magnus difficultatibus homines liberaſſe* dicit, *qui Dæmones inter DEum & homines medios ſtatuiſſent, in quos referrentur ea, quæ neque vires humanas*

nas efficere posse constat, & quæcum in majorem quam humanam potestatem redigere necesse sit, sed alia ratio prohibeat ne referantur, in optimum Deum similesquè ejus spiritus alios bonos, in eam potestatem redigantur, quæ tametsi superet humanam facultatem, res edita tamen testentur, eam neque Deum esse neque mentem puram divinamque authoritatem. Signa, inquit, majoris quam humanæ potestatis cùm plura cum nostris illi collegerunt, inprimis ipsa sunt divinatio, præterea fascinationes, vexationes corporum, ægritudines injectæ, pluraque alia nemini non nota. Sed signa potestatis improbæ, quod cum raro beneficio homines afficerunt, tum verò modus ipse ratioque prophetandi naturam inquinatam declaravit. Ita sapienter Plutarchus; cujus Philosophiam hoc loco magnifaciendam vel ideò arbitror, quoniam non sententiam, modo suorum de existentibus in natura rerum Dæmonibus, sed fundamenta etiam illius atque rationes, unde illa profluxit, nobis manifestat.

§. 11. Sanè id per se notum non est, Diabolos existere; unde quanquam Vossio facile accedam, *quod à primis Noachidis doctrina hæc quasi per manus tradita sit, esse spiritus, quorum ministerio utatur Deus in orbe administrando, idq; intelligere posteri propius potuerint, quisq; à gentis suæ conditoribus*; vix tamen negandum puto, quod ex signis potestatis improbæ, quod Plutarchus dicebat, ex fascinationibus, effectis in genere ac operationibus, quæ nec ad Deum referre, nec ad bonos Angelos hominesque poterant, hanc sibi notitiam Gentiles acquisiverint, prout nec Vossius diffiteri potest, sed spectris, oraculis, magicis artibus & prodigiis comprobatam fuisse hanc doctrinam egregiè ostendit, *Lib. I. Cap. 6.*

§. 12. Quo magis mirum est, repertos tamen in infidelium, Gentiumque numero Philosophos fuisse, qui falsam hîc in medium proferentes Dæmonologiam ad inficiendam Dæmonum ac Diabolorum existentiam studiosè iverunt. Quid de Aristotele circa hoc argumentum dicere & putare debeam, ferè nescio. Scio non *Pomponatium* tantùm *in L. de Incantamentis*, sed & *Steuchum Eugub. L. c. Cap. 26. p. 535.* Tum *J. C. Scaligerum Exercit. 355.* in eo esse, ut assertos à Philosopho Dæmones commonstrent. At, quæ Scaliger adducit Testimonia, talia vix sunt, ut dubitanti satisfaciant, nam vel planè non determinat subjectum Aristoteles,

quando de ἐπῳδοῖς fuis, itemq; οἷς ἐν τῷ περὶ ἀναπνοῆς obscurè loquitur, vel cùm Dæmonia appellat, eaque in numerum corporum cum animalibus refert, ambiguum relinquit Lectorem, utrum bona an mala', an, quod nonnullis videtur, ipsa astra intellecta voluerit. Certe alibi de Dæmonio loquens Philosophus non de Dæmonibus, sed DEO vult intelligi rebusq; divinis. Sic exordiens L. de Mundo (dummodo ille Aristotelem non mentitur) dicit, *semper sibi Philosophiam visam fuisse* θειότερόν τι καὶ δαιμόνιον χρῆμα, Synonymorum loco hæc duo combinans. Idem *de Insomniis*, quando quærit: an per illa futura cernantur; ulterius disputat; *An ea cernantur, quorum homo causa*, ἢ ὧν τὸ δαιμόνιον ἔχει τὴν αἰτίαν, ubi Dæmoinum est ipse DEus. Nam sapientibus dicit futuram hanc insomniorum divinationem, εἰ θεοὶ ἦν ὁ πέμπων, si Deus ea immittit, & concedit. Quæ verò *Steuchus* refert ex Stagirita, quanquam majorem habere videantur verisimilitudinem, attamen quod ex Interpretum quidem verbis, qui rem intelligebant accuratius, non item ex sententiis Philosophi, de malis Dæmonibus sermo fluat Aristoteli, evinci posse arbitror. Quare si maxime *Vossio l. c.* pollicem premere nondum sustinerem, qui asserere non dubitat, Aristotelem alios, quàm orbium cœlestium motores Spiritus non agnovisse. Conf. enim *Suarezius Disp. 35. Met. Sect. 1. n. 24.* ubi id prolixè refutat; vix tamen in affirmantem sententiam pronus ferar, cùm in explicandis aliis, quæ in rerum natura existunt, prolixum deprehendam Philosophum; hic, etiam cum occasio ferret, omninò mutum.

§. 13. Quicquid autem ejus fuerit, concedam tandem sapientissimo Viro & hanc de Dæmonibus notitiam; id fortè certius est (quanquam & hic aliud sentiat Steuchus Eugubinus L. c.) quod *Democritus*, Aristotele prior, uti omnes, sic malos quoquè Spiritus eliminatos ex orbe voluerit. Nam præterquam quod *Euseb. Præp. Evang. L. 14. c. 5.* de illo & Empedocle, aliisque antiquis Philosophis testatur: τοιαύτη δὲ αὐτῶν καὶ ἡ περὶ ἀρχῶν δόξα, ἃ θεὸν, ἃ ποιητὴν, ἃ δημιουργὸν, ἃδέλη τῶν ὅλων αἰτίαν ὑποφαίνεσθαι, ἃδὲ μὴν θεὰς, ἅς ἀσωμάτους δυνάμεις, ἃ νεφρὰς Φύσεις, ἃ λογικὰς ἃσίας ἃδ' ὅλως, τὰ τῶν ἐκτὸς αἰσθήσεων ἐν ἀρχαῖς ὑποθεμένων; in quibus verbis id imprimis attendendum puto, quod hi Philosophi neque incorporeas virtu-

tes neque intelligentes naturas in principiis ponant; quale quid omnino feciſſent, ſi reliquorum ſapientum dogmata amplexi, ullas exiſtere intelligentes naturas credidiſſent; certe *Theodoretus L.6.de curat. Gr. Aff.* notat, quod Parmenides (cum quo in hac doctrina faciebat Democritus) neceſsitatem (quâ nempe putabat omnia fieri) etiam *Dæmonem, Juſtitiam* & *Providentiam* appellaverit, non alio clariore argumento, quàm quod hi Philoſophi Dæmonem longè alium, eumque nihil minus atque mediam quandam inter DEos & homines naturam & ſubſtantiam ſibi formaverint. Taceo, quod Democritus eas, quas alii Dæmonib9 adſcribebant, operationes, imaginibus ſuis (Cicerone teſte ab ipſo in Deorum numerum relatis L.1.de natura Deorum) rerumque ſpeciebus ac ſimulacris tribuerit, quorum verò natura ipſo deſcribente cum Dæmonibus nihil commune habet. Conf. *Clem. Alexand. in Admonit. ad Gentes p.43.*

§. 14. Ab his Philoſophis ſi abeam, qui verò poſt *Xenophanem* in Eleatica Secta prope Principes erant, vix deinde alios ex vetuſtioribus ſapientum familiis, invenio, qui in eodem hærere luto, & ad inficiandam Dæmonum exiſtentiam ſeſe applicare voluerint. Nam ut de Epicuro, ejusque ſchola dicam, vix opus eſt; quanquam enim certiſsimum arbitrer in hac maximè doctrina eam nihil propoſuiſſe ſani, idque vel propterea, quod *Clementi Alexand. Strom. 6.* credam, qui ait; καὶ Ἐπίκυρος παρὰ Δημοκρίτου τὰ προηγούμενα ἐσκευώρηται δόγματα; non tamen diſquirendum de illis amplius eſt, utrum Dæmones crediderint, cum omnem Dei ſenſum peſsimi mortales eliminatum cuperent; ipſeque Epicurus (cæteroquin Diſcipulis ſuis melior) Providentiam divinam in rebus humanis tollere, quod ſupra annotavimus, allaboraverit. *Vid. Grotius in Act. 17,18.*

§. 15. Jam inter eos qui Ethnica ſacra amplectebantur, Philoſophos, Celſum, vaferrimum hominem penitus tacere non poſſum, quamvis ad eorum, de quibus dixi, ætatem minimè accedat. Sententiam illius, quæ ad deridendos Chriſtianos compoſita erat, quod *illi Chriſtum à Dæmone tentatum aſſerant*, quamvis in eo non ſubſiſtat, ſed in negationem omnimodam Dæmonis feratur, exponit *Origenes Lib.6. contra Celſum p.303.* Edit. Spencer. Verba, ut brevior ſim, latinè verſa referam: *Deinde Celſus & aliam*

adversus nos orditur calumniam, falluntur, inquit, impie per summam ignorantiam decepti, non intellectis divinis agnominibus, dum adversarium Deo quendam Diabolum faciunt, eundem Hebraicè nominantes Sathanam. Est enim omninò mortalis infirmitatis & prorsus alienum à pietate, dicere, quod DEus Maximus volens benefacere hominibus, propter adversarium obnitentem id nequeat. Ergone Dei Filius vincitur à Diabolo? & vexatus ab eo docet nos vexationes ejus contemnere, prædicans, quod & Sathanas similiter adventurus sit, edaturusq; magna miracula, usurpando sibi Dei gloriam, cui ut Seductori non sit advertendus animus, sed soli sibi credendum. Id vero manifestè impostoris est operosè præcaventis sibi à contrariæ doctrinæ autoribus.

§. 16. Utrum nunc ex Interpretibus Aristotelicis in eundem censum cum iis, qui Dæmones negant, referre debeam *Alexandrum Aphrodisæum*, in plurimis acutius videntem atque ipse fecit Aristoteles, nec minus *Simplicium*, accuratum Philosophi sui interpretem, ferè nescio. De *Averroe* & quomodo ille ab Alcorano etiam in hac parte abeat, res certior est, quamvis ei ex ipsis Arabibus sint qui contradicant, inter quos quàm rectè à *Vossio* Avicenna locetur, alii viderint. Conf. *Vossius L. c. p. 41.*

§. 17. Gentiles tandem mitto, investigaturus, utrum non in populo Dei fuerint, qui in eodem cum Gentibus hærere luto voluerunt; Imò verò hic statim Sadducæi se ingerunt, de quorum dogmatibus *Epiphanius* quidem monet *in Hæres. 14. quod facilè refelli possint, nec brevi spatio posse eos resistere*, putarem tamen Disputationes eorum cum Rabbinis aliud nonnunquam ostendisse. Palmarius eorum error erat, quod Resurrectionem mortuorum inficiarentur, uti perspicuum est *ex Matth. 22, 23. Act. 23, 8.* Quorsum toties oppugnati ab Apostolis iisque inprimis adversi fuisse memorantur. Conf. *Act. 4. 2. seq. Cap. 5, 17.* Addatur de his aliisque Sadducæorum dogmatibus Joseph. *Lib. 13. Antiq. C. 9.* & *L. 18. C. 2.* tum *L. 2.* de Bello Judaico *C. 7.* Ut verò tanto pronior Sadducæis ad oppugnandam Resurrectionem mortuorum via foret, doctrinam de Spiritibus maximè sibi vellicandam sumpserunt: Præterquam enim, quod docerent, *Animam* nihil aliud esse, quam *temperamentum hominis, non substantiam corpori contradistinctam*, ipsi etiam *de omnibus* ferè *spiritibus* dubitasse videntur.

dentur. Pertinet huc insignis locus, qui inprimis nunc ad nos spectat *Act. 23. 8. Nam Sadducæi quidem dicunt non esse Resurrectionem, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα, neque spiritum.* Mirum dictu est, quantæ olim de hujus dicti sensu lites: Est inter Judæos *Menasse Ben Israël in L. de Resurrect. Mort.* qui ut suspectam authoritatem Scripturæ N. T. reddat, inficiatur, *quod Sadducæi unquam de Angelorum existentia dubitarint. Etenim vel ex lectione solius Pentatevchi, si hunc solum admisissent Sadducæi, contrarium eos deprehendere potuisse.* Certè *Scaliger de tribus Sect. Judæorum* ex hoc argumento ita se expedire non potuit, ut fateretur, *se rem ignorare, nec mentem Sadducæorum satis explicare posse.* Sed quòd pace Magni Viri dixerim, res adeò difficilis non videtur. Potuerunt certè Sadducæi (quod nonnulli probant ex Rabbinis, omninò factum esse) Angelorum retinuisse nomen, ut rem ipsam tamen inficiarentur, dicendo: Angelos, quorum toties in Libris Mosis mentio fit, non esse spiritûs, non esse substantias, & supposita abs hominibus imprimis, diversa, sed cogitata cordium, aut imagines quasdam in hominum animis productas, aut virtutes DEI inseparabiles, quas DEus, quando lubet, ex sese exsilire facit, opere peracto retrahit. Quod si tandem dentur quidam spiritus, qui Angelorum tueri nomen possint, eos noviter à Deo produci, separando fortè quiddam ab Anima mundana (celebri alias inter Judæos figmento) quod postea destruat, faciatque redire in naturam universalem. Et quid? num absonum est asserere, quod clarissimis etiam scripturæ dictis denegare fidem homines ad erronea dogmata proni voluerint. Nihil certè in quibusvis hæreticis deprehendere licet frequentius, & quotidiano prope usu venit. Verùm ergo est, retinuerunt Sadducæi, sed perverterunt scripturam Mosaicam, & negarunt omninò dari Angelos. At, quid hoc est, quod Lucas addit, dicere eos, *nec esse Angelos, μήτε πνεῦμα, neque spiritum. Epiphanius Hæresi XIV. p. m. 31.* & *Philastrius* hoc nomine Spiritum S. intelligere, videntur: Ita enim Epiphan. πνεῦμα δὲ ἅγιον οὐκ ἴσασιν, ὃ γὰρ οὐδὲ τοῦτο νοεῖν θέλουσι. Spiritum S. ignorant, quem nec accipere digni sunt. Non aliter sentit *Æthiopicus Interpres*, qui vocabulum πνεῦμα vertit *Spiritus S. Et cum hæc dixisset*, (sunt translationis verba) *litigarunt Pharisæi & Sadducæi,*

dicentes: non vivent mortui, & non sunt quicquam Angeli, neque Spiritus S. Sed hanc sententiam cum suam faceret *Serarius de tribus haresibus Judæorum, à Scaligero* malè exceptus fuit, *Asinitatem hanc esse, & impietatem*, dicente, *quæ nunquam Sadducæis in mentem venerit*, idque propterea, *quod alias dicendum fuisset, negasse Sadducæos* τὸ πνεῦμα *cum Articulo, si nempe respectus à Luca haberetur ad Spiritus Sancti Personam.* Jam quidem opinioni Epiphanii & illius sententiæ, quæ dicit, quod hic de Spiritu S. sermo sit, non facile assurgimus, (quanquam non ea propter, quoniam, ut *Joh. Phil. Pfeifferus* putat *in Dissert. de verbis Lucæ Act. 23, 78. Regiom. hab. Anno 1682. mense Julio, vix in Scripturis, præsertim N. T. Spiritus S. simpliciter reperitur appellari Spiritus*, scil. *quantum ad personam, & ubi non contextus id jubeat, sed vel Spiritus Dei, vel spiritus Domini, vel spiritus veritatis, aut hujus modi; vel Spiritus, cum Epitheto, sanctus* &c.) minime tamen probari potest immodesta Scaligeri disputandi ratio, traducentis hanc opinionem, ut meram asinitatem, imprimis, quod ejus ratio (haud secus atque rationes *Pfeifferi*) frivola omninò & nulla videtur. Nam & in aliis scripturæ locis vocabulum πνεῦμα sine articulo, & absolutè sine Epitheto aliaque descriptione, in eo tamen sensu, ut Spiritum S. denotet, invenitur. Non est quod dicta plura allegem, solus sufficit locus ex *Joh. 3, 5. nisi quis renatus fuerit* ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος; ubi nihil dubii relinquitur, quin tertia Deitatis Persona indigitetur. Quod si verò jam de Spiritu S. *Act. 23.* sermo non est, de quo igitur? Lucas certè distingvit Angelum (per Enallagen Numeri, sub unius nomine pluralitatem indigitans, uti *Apoc. 21. 21.* & alibi (à Spiritu, dicens, *quod neque Angelum* μήτε πνεῦμα, *credant Sadducæi*; quorsum *Theophylacti in h. l.* sententia cadit, *qui Spiritum & Angelum pro Synonymis* accipit. An ergo dicemus voce Spiritus indigitari Spectra? uti fit *Luc. 24, 37.* aut Animam, uti *1. Cor. 5, 6. Psalm. 77, 39. Ecclesiast. 12, 7.* Neutrum omninò: nam Spectra non poterant Angelis contradistingvi: & Animæ, ut tales, non negabantur penitus à Sadducæis: Dicamus igitur, quod res est: nomine πνεύματος putamus in generali vocis usu (quando ipse eum ad specialem significatum non restringit Evangelista) denotari omne id, quod spirituale dici poterat, & incorporeum, ut ejus

negata

negata à Sadducæis exiſtentia fuerit; Sed anne ita ipſius etiam Dei? *Chryſoſtomus* de eo dubitanter *Homil. 41a in Act. 23, 8. Nam Sadducæi*, ait, *neque Angelum eſſe neque ſpiritum dicunt. Nihil incorporeum, ſciunt Sadducæi, fortaſsè neque Deum, quia tam craſſi ſunt*; Idem habet *Theophylactus in h. loc.* Non putarem tamen ita penitus deliraſſe Sadducæos: fortè credebant quidem, DEUM exiſtere, ſed imaginabantur ſibi Numen aliquod corporeum, ut univerſaliter verum ſit, eos negaſſe omnem ſpiritum; id quod de ſpiritualitate animæ eò magis manifeſtum, quò certius, quod *nullam animæ immortalitatem* hæc Secta crediderit. Sic enim *Joſeph. Lib. 2. Bell. Jud. Cap. 12. circa fin.* de Sadducæis: ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν καὶ γᾶς κατ, ὧδε τιμορίας καὶ τιμὰς ἀναίρεσι. *Animæ autem perpetuitatem, & poſt hanc vitam ſupplicia pariter atque honoris præmia tollunt. Et L. 18. antiquit. Jud. C. 2.* Σαδδυκαίου δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι. *At Sadducæorum opinio cum corporibus extinguit ſimul & animas.* Addatur *Hieron. in Matth. 22. 23, 31. Iſid. Hiſpal. L. 7. Orig. C. 4.* & alii. Non eſt quod in hanc rem plura addam, ex dictis conſtet, quod cùm omne incorporeum, tum verò Angelos negaverint Sadducæi, procul dubio illi nullos exiſtere Dæmones (ſunt enim & hi angeli, uti aliunde notiſſimum eſt, & expreſsè ita dicuntur *Matth. 25, 41. 2. Petr. 2, 4.*) fuerunt arbitrati.

§. 18. At quod de Sadducæis dico, negatum ab iis omne corporeum & ſpirituale ſaltem in natura finita fuiſſe, id ad hanc Sectam ſolùm non ſpectat, ſed ad alia quoque ſententiarum divortia de natura & eſſentia Dæmonum nos deducit. Quo loco vellem, ut illi etiam, qui exiſtere tamen Dæmones ſtatuerunt, non corporeos eosdem & materia indutos ſibi confinxiſſent, ſed ita tamen Gentilium ferebat perſvaſio. Certè *Plato*, qui & hic vetuſtiores Ægyptios, Chaldæos, aliosque ſequitur, Dæmones *in Epinomide* atque paſſim alibi, definit *Genus aëreum, quod quidem prorſus non cernatur, adeſſe tamen nobis, etiam cùm non videtur, cenſeri debet.* Dum verò Genus aëreum dicit, non ſolùm Regionem vel domicilii locum, quodque in aëre reperiantur & degant Dæmones, intelligit, ſed & materiam, ex qua illi conſtent, aërem eſſe & *corpora valdè ſubtilia putat*; ſicque æquum fuiſſe cenſet, ut cùm ſuprema æthereaque mundi Regio Diis cœleſtibus, inferior hæc

& ter-

& terrea varii generis animalibus repleta sit, *aër etiam animalia sua foveat, non minus atque aqua, cui verò sui etiam adsint Dæmones aquei, Semidei, Tritones, Leucothæa, Matuta, aliisque hujus generis.* conf. *Plato in Timæo,* qui, quod fabulosis Dæmonum classibus, (quales varios fingebant Poëtæ) annumerandi veniant, non ad *Genus aëreum in Epinomide* recensitum pertineant, extra dubium positum est, indeque à reliqua Philosophorum Gentilium familiâ tantopere non attenduntur. Et verò nescio, annon Plato hic iterum Hesiodi maximè vestigia legerit, qui de hominibus in Dæmones commutatos ait:

Ἠέρα ἑσσάμενοι πάντη φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν.
Aëraq; induti tota tellure vagantur.

Eò sanè tendunt omnia, quæ de Dæmonum essentiâ habet Plato, ut aërea induti, h. e. animalia aërea, ex aëreo corpore constantia, quemadmodum terrestria ex terrestri, existimentur. Etenim *Plato* tùm alibi, tùm clarissimè omnium *in Timæo,* ea inprimis ratione, *Dæmonas* innuit *esse corporeos, quod opifex mundi injungens novitiis Diis,* (qui procul dubio sunt Dæmones, Marco interprete, Genii apud Romanos appellati) *ut humanum corpus & terrestria formarent animalia, partibus ex omni mundo, quibus stiparent corpora, acceptis,* adjecit ἃ τοῖς ἀλύτοις οἷς αὐτοὶ συνείχοντο δεσμοῖς, *ne iisdem indissolubilibus vinculis & compage, qua ipsi ligati essent, eos adstringerent.* Quo ipso mundanum opificem ex eadem elementorum materia sumpsisse compactum humanum corpus & Dæmonum significat, quanquam horum corpora magis sint indissolubilia atque illorum. Hinc *Apulejus* Platonicus *de Deo Socratis*; *Dæmones* ait: *esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna*, innuens hac qualicunque descriptione sua; non ex nudo corpore constare Dæmones, sed mente (h. e. parte animi superiore, qua rationales sunt) & animo (h. e. parte animi, passionibus turbulentis, motuique cordis & fluctuationi cogitationum obnoxiâ, uti ex ipso *Apulejo* explicat *August. de Civ. DEI L. 9. C. 6.*) intra corpus existente, quod solum sit corporeum, aerum, attamen æternum.

§. 19. Ita verò & reliqui ex Platonis Schola; *Plotinus,* qui Dæmonem ait esse μὴ πνεῦμα σωματικὸν ἠέρος, ἢ πνεῦμα, *cum aliquo corpore*

sive

ſive aëreo, ſive igneo; Quam *compoſitionem Latianus* allegatus *à Steucho l.c. p.537.ſeq. ſpiritualem* appellat: nec non *Porphyrius*, qui *Lib.2. de Sacrif.& Diis atq; Dæmonibus*, ait, *Dæmones non ſolido corpore veſtitos, nec unam omnes habere formam, & quâ ratione corporeum quid ſunt, paſſioni eſſe obnoxios & diſſolubiles, unde conſentaneum* putat, *aliquid ab iis ſemper effluere atq; nutriri.* Quod ipſum paulò poſt dilucidius explicat, & *Dæmones eſſe* dicit, qui *libamine, nidoreq; carnium oblectantur; his enim*, inquit, *ſpirituale corpus eorum pingveſcere ſolet. Vivit namq; hoc vaporibus fumigationibusq; atq; variè admodum (ut par eſt) per varia, nidoreque ſangvinis & carnium vires aſſumit.* Hucusque *Porphyrius*: cujus ſententia, quale corpus tributum Dæmonibus fuerit, nempe, *quod ali, nutriri, cibis conſervari queat*, apertisſimè declaret.

§. 20. Erat autem hæc non Porphyrii ſolum ſententia, (quam ipſe quoque exponit *Epiſtola ad Anebuntem* (rectius *Anebonem*) ſacrificulum & Magum Ægyptium *in Epiſtola, quâ petit ſe edoceri de diverſitate Dæmonum*; Vid. *Auguſt. de Civ. Dei L. 10. C. 11.*) ſed communiter Platonici aliique Philoſophi docebant, Dæmones nidoribꝰ ſacrificiorum oblectari, ut iis & ſangvine fuſo nutriantur, unde propè terram plerumque volitent & ad hæc inferiora ſe dimittant. *Vid. Steuchus L.8. C.30. integro.* Unum adhuc addo, cum plures poſſemus (in primis *Proclum*, qui *quinque genera Dæmonum recenſens, quintum conſtituit corporeum quodammodo*; *De anima & Dæm. pag.m. in Excerptis Marſilij Ficinij 200.*) ex Platonis *Chalcidium*. Ille *Comment. in Timæum Platonis*, cum multa Dæmonum genera cum quibusdam Platonis diſcipulis, conſtituiſſet; *Generis ætherei compagem* (omnibus enim quædam corpuſcula concedit) *ex ætheris ſerenitate conſtituens*, hâc Definitione concludit: *Dæmon eſt animal rationale, immortale patibile, æthereum, diligentiam hominibus impertiens*: animal verò æthereum dum dicit, corpus æthereum inſinuat, *cujus compagem* ait, *non diſſolvendam eſſe, propter ætheris aëris q; tenuiſſimum defœcatiſſimumq; liquorem; tum verò non conſpicuum, neq; tactui renitens, corpus facit, quoniam non adſit tantum ignis, neq; tantum terræ.* Hæc Platonici.

§. 21. De Ariſtotele quod idem in eodem argumento ſenſerit, arbitrarer, ſi de Dæmoniis propriè dictis intelligi ipſum vo-

luisse scirem, *loco supra citato ex IV. Metaph.* ubi: *substantia*, inquit, *dicuntur simplicia corpora, ut terra, ignis, aqua, & id genus, omniaque corpora, & ea, quæ ex his constant,* ζωά τε καὶ δαίμονια καὶ τὰ μόρια τούτων, *animalia, Dæmonia, & partes horum*; Sed non opus est ut in describenda Gentilium Veterum de Corporeis Dæmonibus sententiâ prolixior sim; quod facerem, si *de Concubitu horum cum fœminis humanis & de Excrementis eorum* exponere ad mentem cœcæ Philosophiæ placeret; disserit hâc de re *Marcus* quem supra allegavi, *apud Psellum de Dæmonibus* & planè absurda narrat, quamvis & hîc conferri possit Steuchus *l.c.c.32.*

§. 22. A *Gentilibus* nunc ad *Judæos* & *Muhamedanos* progredior: Miræ sunt Muhamedis de Dæmone ejusque lapsu fabulæ, quæ continentur in Alcorano *Sur.2.7.15.17.18.20 30.* ubi ut in compendio repetam, narrat impostor, rem omnem hoc modo contigisse: *Dixerat DEus ad Angelos: submittite vos, & herbam porrigite Adamo; illi sese submisere præter unum, qui dicebatur Eblis, qui jam tum superbus & Angelus nequam factus fuerat. Quæsivit DEus ex eo: Quare non adorasti Protoplastum? Respondit. Ego sum superior illo, tu me & Angelos reliquos creasti ex igne, hominem verò ex luto terræ. Tunc ei dictum est: Exi Paradiso; non est hic habitaculum superborum, in numero eris bannitorum & maledictorum usq; diem supremi judicii: Cùm verò peteret dilationem pœnæ, usq; ad Resurrectionem mortuorum, minas etiam precibus adjiceret, se totum genus humanum à recto tramite abducturum & impediturum, ne credant legi divinæ, responsum à DEO accepit: Apage te à me, linq; Paradisum, eris toti mundo exosus, infernum sequentibus te sum repleturus.* Cùm ita *de lapsu Diaboli* nugaretur Muhamed, mirum non est, quod *ejus Naturam* falsò descripserit, imò verò cùm *Deum* ipsum *corporeum* somniaverit, utpote *manus habentem, & ab angelis portatum*, Azor.38.& 79.quidni Angelos dicat constare corpore. Nam putat: *ex Igne illos creatos esse*, (quanquam aliis *materia aërea* placeat) Azor. 8. & 43. Conf. *Barthol. Georgevv. de Turc. rit.c.1.* At *Diabolum ex flammâ ignis conditum sicq; corporeum esse* asseritur *Surata 65.*

§. 23. *Judæi* propè easdem tibias inflant; Etenim *Manasse Ben-Israel Problem.22.de creatione, è Libro Zoar* refert, *quod Veteres Angelorum malorum* (quos *Angelos mortis vel damni* appellant) naturam ita

ita expreſſerint, ut alios *ſpiritus aëris*, *alios ignis facerent*, dicendo, eſſe *eos compoſitos ex ſubtilibus corpuſculis elementaribus*. Unde eos *cibis veſci, mori, generari, inſtar hominum*, commenti ſunt. Idem de illis affirmat *Grotius ad Pſ. 104.* & *Ludov. de Dieu ad Pſ 68.18.* dubitanter pronunciat: *Videntur Hebræi conſentiente ſcriptura ſenſiſſe Angelos ita eſſe ſpiritus, ut non ſint tantum prorſus immateriati, ſed conſtent ignea materia.* Ubi tamen an Dieu ſententiam Judæorum circa Pſ.68. rectè intellexerit, fere ambigo. Quomodo Thalmudiſtæ & Cabbaliſtæ *Dæmones corporales* fingant, qui etiam *edant, bibant, multiplicentur* & *moriantur, qui lambant frigiditatem aëris, & odorem hauriant ignis*; de eo conf. *Buxtorf. Lex. Rabb. Talmud. Rad.* שוד & *Münſterus ad Levit. XVII.* Rectiùs procul dubio inter illos *Philo* ſenſit, qui quanquam Angelos bonos *animalium* Nomine appellet, *puriſſimas tamen mentes & optimas* vocat, in *Libro, quod inſomnia ſint à Deo: p.586.* & expreſsè *corporis expertis* dicit *p.131.* Conf. eundem *in L. de mundi opificio p.33.* Vereor autem ne Philo ſui oblitus fuerit, quando *Dæmones* dicit *conſveviſſe cum Mulieribus L. de Gigant. p.248.* id quod *Joſepho* etiam placet, *L.1. Orig. C.4.* Etenim quomodo miſceri illi cum fœminis potuerint, cùm corpore carerent, non ita facilè liquet, niſi de aſſumpto corpore id voluerint intellectum, quanquam uti in aliis Philo Platonis ſæpè legit veſtigia, ita & hic ferè metuam, ne Platonicam ſecutus ſententiam, æquè ut ille, ad generandos homines proprio concurriſſe Dæmones corpore exiſtimaverit. Omnium rectiſsime *R. Moſes Maimonides Angelos nec corpore nec materia conſtare* cenſet; *ſed ab utroque eſſe ſeparatas ſubſtantias, Tract. 1. de fundam. Leg. Cap. 1. & 2.* idem aſſerit *Aben Ezra in Cap. Exod. 26.*

§. 24. Sed non eſt, quod diutius ſcrutandæ infidelium falſæ Dæmonologiæ me impendam, modò non inter eos, qui Chriſtiana ſacra amplexi ſunt, idem error qui Angelis Dæmonibusque corpus tribuit, nullas unquam radices egiſſet. Non morabor nunc *Meſſalianos*, abſurdarum ſententiarum promo ſcondos, qui Seculo IV. infeſti Eccleſiæ Dei fuerunt. Hos uti cum Anthropomorphitis, *Deum* ſomniaſſe *corporeum, quem ipſi oculis corporeis viderent* (prout & *adventum Spiritus S. ſenſu ſe percipere* jactitabant) accepimus teſte *Theodor. Lib. 4. de fab. hæret.* ita haud miramur,

quod & *Angelis*, disertè verò *Dæmonibus compagem quandam corpoream attribuere* voluerint. Quando enim *peccata & Sathanam orando sensibiliter ejici* contendebant, *hunc tam exiguum fieri dicebant, quàm fumus est, aut parvum animalculum, sicque extenuatum exire visibiliter ex ore hominis, uti porca & scrofa cum porcellis, cujus loco visibiliter quoque succedat, & ingrediatur Spiritus S.* Vid. *Dæus in August. de Hæres. p. 286.* At illud insulsum genus hominum transeat; vellem Patres priscæ Ecclesiæ Christi, & Doctores præstantissimos hîc taceri possent. At nota res est. Nimia certè Philosophiæ Platonicæ admiratio, quæ Sec. post natum Servatorem II & III. inprimis vigebat, plurimos in hoc argumento, ut Platonis devia sequerentur, seduxit. Scio, quomodo excusari Patres soleant, quod cùm Angelos dicerent corporeos, tales insinuaverint, qui spiritualem DEI naturam non omnimodè assequerentur, cùm ipsi tamen etiam corporis expertes essent. Sed quanquam id largiar, quod tale corpus, quale nostrum est, carne & ossibus constans, Angelis attributum non voluerint Doctores illi; imò quanquam etiam putem, melius quosdam animo sensisse atque locuti sunt, cùm corporis nomine id intelligerent, quod certa regione ac loco definitur, uti ex *Cyrillo Alexandr.* licet colligere *L. 9. in Joh.* vix tamen ac ne vix quidem video, quomodo non plures ita senserint, quod ex materiâ quadam datum Angelis à Conditore Corpus fuerit, subtile illud, & quod in alia se insinuare corpora posset. Ubi quamvis sint, qui nescio quam spiritualem materiam comminisci videntur, quæ fabricata sit à Deo, antequam homo existeret, ex qua & Angeli & Animæ nostræ productæ fuerint, tamen & hæc materia in Corpus quoddam tandem definit, nec intelligi facilè aliter potest. Vid. tamen, quid de hoc argumento disputet *Svarezius Disput. Metaph. Disp. XIII. Sect. 13. & 14.* Quid quod Justinus Martyr aliiq; adeò corporibus præditos esse putant Angelos, ut ali etiam illos in cœlo, & nutriri ignoto cibo dicant, quorsum & cum Mulieribus stupri aliquando consvetudinem inierint, unde Dæmones enati. Vid *Dial. cum Tryphone, & Apol. 1. init.* Plures in hunc sensum allegare ex Patribus supersedeo, cùm magno illi numero adducantur à *Petavio in Dogm. Theol. T. III. L. 1. C. 2. seqq. & Svarezio in 1. Thom. L. 1. c. 6.* De *Augustino* aliàs magna

magna lis est, utrum Angelos & Dæmones corpore molis expertes, an ea indutos putaverit. Apud *Lombardum* dicitur *L. II. Sentent. Dist. 8.* si quando durius hic locutus est Augustinus, id ex aliorum, non sua sententia dictum esse; quomodo illum quoque excusare nititur *Thomas P. I. Qu. 51.* Probabile etiam videtur *Leonhardo Coquio in Not. ad L. 8. de Civ. Dei C. 6. & L. 21. C. 10.* Augustinum existimasse, Angelos esse puros spiritus. Sed quanquam & ego largiar, subinde fluctuantem in hoc argumento invenire doctissimum Patrem, nescio tamen, an non ex vero *Ludov. Vives in L. 15. de C. D. c. 13. Augustinum* dicat, *sensisse Angelos & Dæmones corporibus esse præditos, legentibus ejus opera, studvidelicet & de natura Dæmonum, & de Gen. ad literam, certius est, quàm ut pluribus ostendi debeat; nec ex aliena sententia, tot locis locutus est, ut Petrus Lombard. dicit, quosdam putare, sed ex sua ipsius, secutus nimirum non pudendos Authores, primum Platonicos omnes, deinde Originem, Lactantium, Basilium & consensum ferè suo tempore scribentium.* At transeant ista: id tamen non negligendum mihi est, quod plures ex Doctoribus priscæ Ecclesiæ, cum de natura Angelica loquerentur, distingvere soleant, inter eam, unde Bonorum corpora, & illam, unde Malorum compages & membra constant. Certè *Isidorus Angelos spirituales, Dæmones aëreo corpore præditos esse confirmat, L. 1. de Diff. c. 12.* idemque sentit *Richardus Victorinus L. 4. de Trinitate.* Alii tamen utrosque corpore præditos putant, quamvis boni corporibus gaudeant puris, & ex cœlesti materia delibatis, Dæmones verò ex aërea, crassa, densa, & concreta, *ita Justinus Martyr, Tatianus, Origines, Hieronymus, aliiq;*, qui eò delapsi, ut crederent, Dæmones per idola manufacta, cruore pecudum & victimis pasci, uti expressè *Hieron. Epist. 146. ad Damasum.* Quorsum pertinent *Græci recentiores in Florentina Syn. p. 11. Gr. Edit. Rom.* & complures alii, qui Diabolum ejusque satellites post lapsum mutasse substantiam, & propè carnem accepisse putant. Sed ut & hoc argumentum non ulterius deducam; *Petavio*, diligenti horum inquisitori, debeo *T. 3. L. 3. C. 1. seqq.*

§. 25. Hos deinde Ecclesiæ Doctores subinde in errore propagando secuti sunt alii. Ex Scholasticorum farragine quamvis sciam plures ejus erroris insimulari, ac si Angelos, maximè ve-

rò Dæmones, corpore quodam â natura indutos putaverint, mihi tamen paucisſimi videntur jure merito de hoc commento accuſandi. Certè præter *Bonaventuram* & *Auguſtinum Niphum*, & *Cajetanum* vix habeo, quos huc referre poſſim, at de *Bonaventura* res conſtat. *vid. ille T. II. Diſt. 3. P. 1. art. 1. Qu. 1. & 2.* neque minus de *Auguſtino Nipho Tract. 3. de Dæmonibus. C. 3. ſeq. Cajetanus* verò, uti *Comm. in C. 4. Geneſ.* Motores Aſtrorum, ſic *in C. 2. ad Epheſ. Dæmones* ſibi fingit *corporeos*, quibus â *Svarezio Diſput. in Thom. P. II. L. 1. c. 6. n. 3.* adjicitur idem ſentiens, (quem evolvere non licuit) *Franciſc. Georg. L. 1. Problem. C. 57. & 74. & l. 6. C. 330. Steuchum Eugubinum* huic ſocietati plerumque adjungunt: Et rectè quidem: Præterquam enim quod *C. 27. de perenni Philoſ.* ſententiam de Corporibus Dæmonum aëreis ex aſſerto Apoſtolico: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & c.* demonſtrare voluerit, Cap. 41. Angelos (*Chalcidio Dæmones æthereos* ſed falsò dictos) *ſi fuerint ætherei, corpora habere puriſſima, ætherea, leviſſima, volucria, plagis non obnoxia, non mortalia, non caduca; contra verò Dæmones, non tàm divinis & ſacris, aëreis tamen indutos eſſe veſtibus, corporibus puta ſub oculos non cadentibus*, opinatur, hacqve ſententia *Librum 8.* qvi erat *de Angelis & Dæmonibus*, obſignat.

§. 26. Nunc, quos adducere recentiores poſſem, quibus eâdem propè ſtatutum fuit ſententiâ, recenſere ſuperſedeo. Ex Calvini Schola *Zanchium P. I. de operibus ſex dierum L. 2. C. 3. Bucanum Loc. VI. Q. 3.* haud abs re *B. Calovius in Syſtem. T. IV. p. 35.* allegavit, quaſi idem cum veteribus ſentiant, cùm expreſsè *Bucanus, materiam quandam, ſed plane ſpiritualem, non corpoream, craſſam, & aſpectabilem Angelis tribuat; niſi eum de ſola compoſitione metaphyſica, quâ ex actu & potentia conſtent Angeli, atq; propterea materiales*, (quanquam valdè ἀκύρως) *dicantur*, intelligendum eſſe putes, ſicut ipſe eodem loco ſententiam ſuam exponere videtur. *Grotium*, quem pariter habet *B. Calovius in annot. ad Pſ. IV.* ulterius progreſſum puto, dum *igneos* conſtituit expreſsè & *aëreos Seraphim, & præterea Ariſtotelem cum ſua immaterialitate exſibilat.* Sed de *Gerhardo Joh. Voſſio* nihil adjicio. *Rivetum in Apol. pro voto Pac. Eccl. II. n. XLV.* itemque *Vorſtium in Exegeſi Apologetica p. 27. & Diſput. 3. de Deo & Attributis Divinis p. 185* (ne de *Bodino* dicam *in Theatro naturæ*)

turæ) non multum recesſiſſe abs *Epiſcopij* ſententia exiſtimari licet, qui *difficile* putat *aſſerere, qualis ſit ipſa Angelorum ſpiritualitas, an Eſſentiæ divinæ Eſſentiæ ſimilis, & omni omninò corporeitati carens, an vero cum corporeitate aliquâ conjunctæ; non craſſa illa, oſſea ac carneâ, non aërea, non ignea, ſed tenuiſſima, ſubtiliſſima, puriſſima & lucidiſſima, qualis eſt Cœli iſtius, quod ipſorum αὐχητέλεον eſſe dicitur, ex qua corpus Adami formatum fuit, quippe cujus Domicilium terra futura erat. Lib. 5. Juſtit. c. 2.* ſed cum *Bucano* ferè facit recentiſſimus Author, *Sebaſtianus Würdigius, Medicus olim Dorptanus; tum per multos annos Roſtochienſis*, ante ſexenium & quod excedit, defunctus, qui, quanquam ſub initium, *Angelos materiæ expertes*, dicat, tamen *Genios deſcribit tanquam Spiritus à Deo, vel verbo vel nutu ex nihilo, aut ex certa quadam materia maximè ſimplici, ſpirituali, lucida, igneâ creatos, qui ob nimiam ſimplicitatem & ſubtilitatem non conſpiciantur, ſecus ac aër, Cœlum, & ignis rarefactus inviſibiles ſunt. Hanc tamen concentratam geniorum lucem, & hinc viſibilem, adeò violentæ radiationis eſſe*, ait, *activitatis & penetrantiæ, ut Daniel, Sanctus Propheta, conſpectum Angeli perferre non potuerit, ſed in animi deliquium ceciderit. In genere verò lucidam eam geniorum naturam poſt eorum lapſum maxima ex parte amiſſam eſſe, & in tenebricoſam, obſcuram, horribilem, abominabilem, propter divinæ illuminationis privationem, mutatam*; Quæ ſententia non multum ab errore *Concilii Florentini* abeſt, quo olim ſtatuebatur, *per lapſum Angelos Carnem propemodum accepiſſe, & ex parte materiales factos eſſe per peccatum.* Vid. *Würdig. Medicina Spirituũ L. 1. C. 1. §. 2. ſeqq.* Sed uti omnis illa Angelorũ materia, ſive ſpiritualis ſive craſſior dicatur, dudum à ſanioribus Scholaſticis, Doctoribusq; profligata eſt, ita *Würd.* imprimis *B. Siricius* peculiari operâ perſtrinxit, nec eſt, quod de ejus ſententia plura referam, cùm interpoſita fide ſua meliora doctum deſeruiſſe eandem poſtliminio & damnaſſe cognoverim9.

§. 27. Atque hæc tandem illa falſæ Dæmonologias ſtructura eſt, quam à Gentilium Philoſophis acceptam Doctores Eccleſiæ Chriſtiani immiſcuére dogmatibus ſuis, & qui Philoſophiam confundere cum divinis fidei fundamentis conſveverant, Scholaſtici, aliisque hinc inde extulerunt; (de Magicis enim Doctoribus, utpote *Agrippa*, & quem antea recenſui, *Trithemio*, non eſt quod prolixè referam. Vid. *B. Calov. Syſt. T. IV. l. c.*) id tamen felicitatis

licitatis obtinente Eccleſiâ, ut complures ex orthodoxis Patribus, & in hoc argumento ſanioribus Philoſophis, errori ſe opponerent, ac Spiritualitatem, uti Angelorum omnium, ſic Dæmonum quoque tuerentur. Vide hos magno numero allegatos apud *Petavium, Svarezium, Voſſium, Locis ſupra cit.*

§. 28. Jam ſi ad populos Gentilismo nuper hodieque deditos progreſſum facerem, oſtenſurus, quæ illorum de Dæmonibus ſententia ſit, magnus quidem iterum dicendi campus nobis aperiretur, idque recenſeri prolixè poſſet, quomodo penes illos non alia atque corporea Dæmonum eſſentia indigitetur, quos nempe ex aſpectu & apparitionibus in aſſumptis corporibus factis dijudicare conſveverant ; ſed ne in hoc opere ullam mihi ſumere curam velim, tum ipſa facit horum hominum ſtupiditas, quis opinionum ſuarum certos non eſſe, nec rerum divinarum intelligentes conſtat, tum confuſa plerumque Aſtrorum cum Dæmonibus eſſentia ſine omni mente propoſita, prohibere poteſt. Cui tamen plura in hanc rem collecta evolviſſe placet, præ aliis novum adeat ſcriptorem *Balthaſ. Bekkerum* in *Orbe ſuo faſcinato*, quem appellat, *Belgicè ſcripto L. 1. C. 5. ſeqq.*

§. 29. Ego *hoc* quidem *loco*, de natura Dæmonum corporeâ diſſerens, in recentiorum ſententias non ulterius inquiro ; id ſaltem prætermittere ſilentio non poſſum, quod cùm variis partium ſtudiis diſputatum hucusque in Scholis & explicatum in Eccleſiis fuiſſet, quod quisque Doctorum de Eſſentiâ Dæmonum vel corporea vel ſpirituali animo conceperat, tum verò ſubinde non defuerint alii, qui novum inferentes Sadducæiſmum, *nullos* omnino *Diabolos*, quos *ſuppoſita dicere* & *peculiares ſubſtantias poſſis, exiſtere in rerum natura* faterentur. Non dicam quod Origenes referat, exſtitiſſe quosdam Medicos, qui nullum eſſe Spiritum immundum arbitrati, non illis, ſed aliis materialibus ſeu corporalibus cauſis ſimiles effectûs tribuebant. Vid. *Origenes Tract. in Matth.* Quo modo quoque *Thomas in IV. diſtinctione 34. q. 1. Art. 3.* ait, *quosdam ex infidelibus exiſtimaſſe, nullos eſſe Dæmones, ſed tantum ex æſtimatione vulgi cogitari.* Quod ipſum etiam exponere *Turrecr. in c. ſi perſartiarias* &c. *Art. 2. 33. q. 1.* & plures alios hæreticos variis modis hunc errorem aſſerentes referre *Jodocum Coccium*

um in Thesauro Lib. 4. n. 5. author est *Svarezius in Thom P. II. C. 1. n. 1.* Taceo de his. Certè Seculo XV. circa Annum 1484. furor ille Papales quosdam in Germania Concionatores agebat, ut nec Spiritus dari ullos dicerent, nec Dæmones, testante id ipsum *Bulla Innocentii IIX.* & *Judicio Theologorum Colonensium*, quæ *in malleo maleficarum* exhibentur: ita refert Voetius *Disp. Sel. Part. III. pag. 563. seq.* qui nec *Pomponatium in L. de Incantamentis* penitus hîc excusat. Deinde Sec. XVI. cùm Anabaptistarum feroces turbæ prodirent in medium, tradebatur; *Angelos non esse Creaturas peculiares & substantiales, sed, si quando Deus potentiam suam exserat ad nocendum vel puniendum, hoc vocari malum Angelum, ex adverso Angelum bonum appellari, si quando Deus nos conservet ac custodiat*, prout in compendio hoc dogma refert *B. Strauchius Def. Theol. Quat. XI. def. 1.* cujus doctrinæ an recentiores Anabaptistas pudeat, equidem ignoro; quod tamen *in Universalibus Confessionibus suis, junctim editis Amstelod.* 1665. sententiam suam de Angelis Dæmonibusque nullibi data operâ expresserint, (quamvis subinde adducant scripturæ dicta, in quibus Angelorum mentio fit, *supra quos Christum evectum, & cultu afficiendum religioso, p. 9.* fatentur, *& à Diabolo seductum hominem asserunt p. 58.* &c.) cûm id propositum ipsis esset, ut omnes fidei suæ rationem dare vellent; hoc, utrum non suspicionem confirmare non satis bonæ causæ possit, aliis dijudicandum relinquo. Illud fortè non de nihilo est, quod nonnulli putant, Anabaptisticum illud dogma aut acceptum penes eos *à Theophrasto Paracelso*, aut ex ejus deliriis, per quæ *Angelorum natura ipsa vis & virtus Dei erat*, confirmatum esse; quicquid sit quod ipse *Theophrastus* Spiritu familiari usus fertur, quem capulo ensis inclusum circumduxerit.

§. 30. Cœterùm quando Anabaptistarum genuina Soboles paulo post *Libertini* exstiterunt, cum quibus multum olim negotii Calvino fuit, ita fieri omninò potuit, ut & hi in sententiam auctorum suorum manibus irent pedibusque. Nam *Quintinistæ* & inter eos *Antonius Pocquius*, *Bertrandus*, *Claudinus*, *Perse vallus*, aliique, cùm statuerent, *unum tantum esse Spiritum, eundemque immortalem*, quod prædicatum Deo vendicabant, jam *Angelos* fingebant, *nihil aliud esse, quam inspirationes aut motus, non creaturas es-*

ſentia præditas. Diabolum verò, *mundum*, & *peccatum* accipiebant *pro imaginatione, quæ nihil eſt. Vanas* dicebant *de Diabolo eſſe cogitationes, quæ veluti ſomnia oblivione obruenda ſint*; ita mentem illorum exponit *Calvinus in Opuſc. inſtruct. adverſus fanaticam & furioſam ſectam Libertinorum Cap. 11. 12.*

§. 31. Anabaptiſtarum & Libertinorum veſaniæ poſtmodum ſe addixit *David Georgius Delffenſis Batavus*, homo ad omnem protervi viam factus, qui virus ſuum diſſeminare, licet clanculum & ſub forma moderatiſſimi animi, per viginti & amplius annos, usque dum Anno 1552. infelicem efflaret ſpiritum, Baſileæ inprimis allaboravit, poſt mortem effoſſus, & igni ſubjectus Anno 1559. Hic eò nequitiæ progrediens, ut ſe *Davidem ſecundum, ſe Spiritum eſſe, & Chriſtum Meſſiam, cujus Præcurſor Chriſtus, uti hujus Johannes fuerit*, aſſerere non vereretur; inter infinitam abſurdiſſimorum dogmatum farraginem & hanc in medium produxit, quod *infernus & Dæmones nihil ſint*; *Malum enim ſpiritum non alium agnoſcebat, quàm peccatum, & pravam voluntatem hominis, qui ſibi ipſi Diabolus ſit*: Hinc *eſt, quod ita ſæpè ſe jactitet: ubi nunc manet Sathanas, de quo tam multa prædicantur. Si quis credit, Diabolum eſſe ſpiritum, qui ante Adamum poteſtatem habuerit, ille errorem deſerat, aliter enim res habet. Ego vobis Diabolum in nihilum redigam, ut nullibi deinde inveniatur.* Pergit poſtea, & Diabolum protervo auſu provocat: *Si ſe ipſum defendere poſſit, ſe Georgiũ illi dicam ſcribere & velle, ut viventem ſuam & conſpicuam eſſentiam prodat, ſive exterius, ſive interiõ, tum ſe creditum, quod exiſtat, ſin minus, ſe non terreri abs illo, ſed negare eum, & dicere, quod non exiſtat. Auditis, ergò*, ait, *Diabolum non credo, mendacium illud non curo. Si datur Diabolus, veniat, ajo, in apertam lucem & diem.* Hinc jam ad inficiandam Angelorum Creationem, ad negandum Diabolorum lapſum &c. progreditur, idq; *ſe probaturum* dicit, *non ſolum ad ſcripturæ, ſed inprimis ad veritatis ductum*. Non eſt, quod plura hujus argumenti ex ſceleſtiſſimo hominis inſanientis ore proferam; Dabitur in ſubſequentibus fortè de aliis ejus commatis ex ſcriptis hujus Georgii dicendi locus. Quæ hactenus adduxi, habentur *in L. Memorabilium Part. 2. C. 30. fol. 51. ſeq. ex edit. quæ Anno 1551. prodiit*: Id tacere non poſſum, quod, cùm Baſileæ habitaret idem, & oboriente tempeſtate domus

ejus

ejus non concussa tantùm, sed ferè dejecta esset, ipse crediderit, non hoc alterius, quam Diaboli opus fuisse. Ex quo tempore, etiam ita metuit Dæmonem, ut nec noctu, nec interdiu solus relinqui vellet, persvasus, Diabolum perpetuò vestigiis suis inhærere. Quorsum sæpè, cùm somno jam sepultus fuerat, è lecto exiliit, spectra adesse putans, quando variis tantùm insomniis vexabatur. *Conf. Adolphi Quassi Chron. fol. 312. Glimmeri Collectanea p. 391. Hermannum Moded contra Anabapt. Tract. Belgicè scripto p. 91.* Quanquam verò hæc ita fiebant, ut diximus, non verebatur tamen petulantissimus mortalium, Annæ, Comitissæ in Oldenburg, ut Ejus Regionibus non excluderetur, eum offerre librum, quem *Innocentiam Davidis Joris* appellat, in cujus *art: 5.* expresè negat, *unquam â se dictum esse, quod nulli essentiâ tales & suppositalitate Diaboli existant; hoc se affirmasse, quod numerus eorum in inferno existens incertus sit, & quod nullam illi, præter Dei Confessionem, agendi vim & potestatem habeant*: sed statim addit: *Si secus habet, ostendant in meo corpore illam potestatem. Age verò si est, qui, postquam verbum caro factum est, de Sobole & Progenie Diaboli supersit, ille loquatur pro eo: Ego David illum in N. T. pro se ipso non esse dico, nullius potestatis esse dico, præter hominem nempe & Dei iram. Homo sibi ipse inimicus & Diabolus est. De nullo ut magis, quàm se ipso caveat, necessum habet, &c.* Obscura omninò verba, sub quibus nebulo latere possit. Sed plura de hoc homine & incredibili ejus protervia non refero: Vitam ejus & acta cùm plures descripserint, quos recenset *Hornbeckius in Summa Controv. L. 6. p. 388.* nobis allegasse, sufficiat ex Nostratibus *Stolterfothium in pecul. adversus hunc hominem Libro*, & ex Reformatis *Spanhemium in Diatriba Historica de Origine, Progressus & Sectis Anabaptistarum*, additam *Gangrænæ Theologicæ, Anabaptisticæ Cloppenburgij p. 213. seqq.*

§. 32. Nunc ad eos ut progrediar, qui non tàm scriptis, quàm aperto ore Dæmonum inficiati Existentiam fuerunt, vix adduci possum. Pertineret huc omnis Atheorum grex; cujus expurgare velle stabulum, quantum saltem ad præsens argumentum attinet, & invidiosus, & non unius operis labor foret. Ut aliquid saltem dicam: *Francisco Petrarchæ*, qui circa annum C. 1340. floruit, & aulæ Romanæ peritissimus erat, facilè fidem habeo, asseren-

ci *Epistola 16.* quod *Romæ inter fabulas & jocos recensetur* **Carnis Resurrectio**, *Mundi interitus, & Christi tandem Reditus ad Judicium*: quidni & Diabolorum adeò existentia? Si *Antonium Zimaram*, Philosophum Italum, hic producere in medium placeret, idem nobis prolixè loqueretur. Ille enim *Probl. V.* ubi quærit: *Quare Monachi magis exhorrescant mortem, atque homines alij?* Respondet: *hoc ideò fieri, quia animo anguntur, propterea quoniam cum morte sua & corpus suum & animam in nihilum redigi credunt, tumq; adesse tempus sentiunt, quo præsenti vitæ ducedine exuti, quò ferantur, nesciunt.* Plura hujus generis, quæ Atheisticum in Italorum animis furorem arguunt, vid. apud *Ulmmerum Hist. Ital. p. 509. Quirinum in Apophtegm. Illustr. Vir. p. 123. Philip. Nollingium in Itin. Ital. p. 59.* In Gallia idem raptus plures in transversum egit, tempore inprimis Henrici II. circa An. 1547. quando Catharinam de Medicis Itali sequebantur in Gallia, ejusdem cum Regina ingenii; & Gallorum tum temporis Poëtæ, nequissimis carminibus pro negando & Deo & Diabolo laborabant. *De Matthæo Knutzen*, Atheorum in Germania Antesignano, nuper à nobis dictum est. Sed & ille tum viva voce imprimis, tum scriptis quoque *multos esse malos Dæmones* affirmabat. Vid. *Philippi Ericij Virga Dei in German. p. 210.* Præter hunc *de Johanne Semecâ, Præposito Halberstadiensi*, referunt, quod per omnem vitam sibi persvadere conatus fuerit, *nec Diabolum esse, nec Judicium, nec Cœlum, nec Infernum*, quo animi sui sensu secure aliquandiu fruebatur, donec morti proximus, cum desperatione colluctari inciperet, in hæc verba effusus: *Dum viximus, erant, qui pro nobis choro & cantandis hymnis interessent: pro nobis agrum colerent, & horas Canonicas obirent. At ubi nunc velunum inveniemus, qui pro nobis infernum petat?* Vid. *Glimmeri Collectanea p. 213. Quirini Apophtegmata p. 171. Quassij Chronicon fol. 319.* Non melioris commatis erat *Fridericus Ciliæ Comes*, qui diem extremum Anno 1453. obiit. Nequissimam ille vitam egerat, etiam cum grandævus jam tum senex esset, & nonagenario major; aliquando hæc proferebat animi sensa: *se nescire infernum, quia nec morbo unquam, nec paupertate agitatus fuisset; Cœlum sibi notum esse, sed quod in edendo, bibendo, exercendoq; venere consistat.* Cùm moneretur de instanti morte, respondebat; *Diu de illa cogitavi; inscriptionem etiam concinnavi,*

quam

quam monumento meo lapideo incidi volo, & hæc est: Per hanc Januam transeo in infernum: Quid tibi reperturus sim, nescio: quid relinquam, scio. Omnium rerum abundantiam habui, de omnibus illis nihil mecum aufero ne hoc quidē, quod edi & bibi, aut per immodicas voluptates meas percepi. vid. *Andr. Olphardi Hist. Hungar. fol. 290. Julius Wilhelmus Zinckgreff in Apophtegm.* Agmen tandem claudat *miles, subsignis Wallensteinij* Ann. *1625.* stipendia merens; ita verò ille: *si velunum è capillis meis capiti inhærere scirem, qui aut sciret aliquid aut cogitaret de Deo & Cœlo, de Diabolo & inferno, extemplo illum eradicarem.* vid. *Henr. Sebaldus in Breviar. Histor. p. 273.* & *Godofredus Neimius de bello Germ. p. 207.* Abrumpo telam; neque enim ut plura hujus generis cumulemus, ratio fert & nostri seculi, & ingeniorum varietates; (plura tamen habet, cui hæc accepta ferimus, Vir Clariss. *S. de Vries* in Belgico Opere, hoc ipso Anno (ut fert titulus) publicæ luci commisso, cujus Inscritio est: *Sathanas in Essentia sua, proprietatibus, operationibus, & Phantasmatibus objectis declaratus, Historico Tractatu &c.*) Quæ dato studio in his paginis omissa sunt, cùm *recentissimorum Auctorum* sententias *de Dæmonibus* concernant, aliam sibi operam proximè deposcent.

S. D. G.

Q. D. B. V.

Dissertatio III.

DE

Dæmonologia Hobbesii & Spinozæ.

Respondente

JAC. FRIDERICO MOLLERO,

Stetin. Pomer.

§. 1.

HObbesium & Spinozam in campum producere animus est, nobile par Fratrum, quorum alter ab altero didicit, alter per cuniculos, alter apertiùs aut non æq; larvatus saltem, eandem scenam lusit, uterq; in negandam non Dei tantùm, sed & Dæmonum Existentiam conspirarunt. Quomodo hoc o-

pus aggressi fuerint, quamque sub Diaboli nomine speciem nobis & phantasma pingant, explicabo breviter, additaq; ad sententiam illorum aliquali limâ, suo impostores sensui relinquam. Neque verò, cùm Hobbesium appello, describere hominem, & qualis fuerit, explanare opus est, qui, quod ad corrumpendum seculum factus fuerit, & omnem in evertendis ipsius etiam humanitatis fundamentis impenderit operam, neminem hodie latere potest. Dedit illum Malmesburia, Agri Wiltonienſis in Anglia Oppidulum; educavit, literisque imbuit Oxonium, aluit Gvilhelmi Cavendish Devoniæ Comitis familia, mirati sunt ob ingenii fertilitatem, & quod in omni eruditionis parte suus esset, Galli juxta atque Itali, quin ipse demum in delitiis Potentissimus Britanniæ Princeps Carolus II. habuit, ejusque operâ usus est, donec variis fortunæ vicissitudinibus agitatus, & fugere aliquoties è patriis sedibus coactus, nonagenario major Anno 1679. die IV. Decembris vitam cum morte permutaret; Vir inveniendis dijudicandisq; rebus apprimè illustris, qui, *nisi admirator sui, quàm auditor Veterum esse maluisset, ad maximorum ingeniorum gloriam perventurus fuisset*, judice *Bæclero Commentarii in Grot. Præf. ad Lect.* De Conatibus illius, & quantum ab ejus Scriptis erudito orbi & integritatis studioso promittere liceat, contrariis studiis plures edisseruerunt, nec meum est, ut de eo judicium interponam. In Mathematicis scio ad corrigenda Principia nonnulla Geometriæ applicasse animum, & in dilucidandis Problematibus quibusdam difficillimis nonnihil posuisse operæ; sed ne nimio eorum, qui rei ignari erant, efferri elogio posset, eruditè effecit *Joh. Wallisius*, Professor Geom. Oxonienſis *in Elencho Geometriæ Hobbianæ*; & *debitâ Correctione Th. Hobbesii*, aliisque, *de Quadraturâ Circuli, Cubatione sphæræ, Duplicatione Cubi*, editis in publicum monumentis. Quo fine si fuisset, & famam quoque non omninò nullam numerorum proportionumquo scientiâ comparasset sibi Hobbes, Prudentiæ tamen studiis eandem adeò non auxit, ut labefactaverit maximè. Nam justum & injustum perperam æstimat, legem malè definit, Principem impiè solvit lege. Civitatem cùm adornat, aut deformat, aut evertit. Pactorum Religione non multùm tangitur. Societates Civiles non considerat, ut debet; jamque Principia nova confingit, jam vetera, majori, dubium, libidine, an contradicendi procacitate destruit. Absolutum, etiam à naturæ legibus æquis ac genuinis (non quas ipse sibi fingit)

Principi

principi imperium afferit; Civem non juri, sed mero Principis arbitrio subjicit, faciendum affirmans, patiendumque, cùm facere, pati, agere, omittere, pro emolumenti & fructûs ratione vult jubetque Princeps. *Vereor*, (ita egregiè *Galeottus Galeatius Karlsbergius* apud *Joh. Deckher. de Scriptor. Adespot. p. 328. seq.*) *ne hâc Cyclopicâ licentiâ Cyclopicam Remp. condat.* Hinc verò illa in res sacras & divinas grassandi libido nata Hobbesio est, cùm fatente ipso *Illustri Pufendorf. de Jure Nat. & Gent. in Præf. peculiaria sibi & horrida dogmata finxit, atq; hoc ipso apud multos non citra rationem, sui aversationem excitavit.* Congessit illa (quamvis inquibusdam deficiat, inprimis quæ naturalem Dei Cultum spectant) tum in aliis contra Hobbesium editis, tum maximè in *Hobbesianismi Anatome, Gisbertus Cocquius*, idemque saxum volvit historicâ Recitatione *Magnif. Dn. Kortholtus Libro de tribus impostoribus Sect. II.*

§. 2. Ex illâ absurdissimarum sententiarum lernâ & congerie haud postremum ipsius Dogma de Dæmonibus est, quo illos in mera transformare Phantasmata, & incertos animi nostri conceptûs voluit, ut nullos supereſſe substantiâ tales & naturâ spiritûs, qui pravi à nobis & ad omne opus malum comparati communiter describuntur, existimare liceret. Ipsum hujus Commenti Auctorem audiemus, ne causâ cadere non auditus à nobis rectequè intellectus videatur. Hinc inde *in Leviathane* suo illud ipsum virus spargit. Etenim *Cap. 34.* quando significationem Vocabuli *Corporis* explicaverat, quod nempe illud universaliter significet *id, quod locum aliquem certum implet sive occupat, nec dependet ab imaginatione nostrâ; quanquam in sermone vulgi aër & substantiæ aëreæ non habeantur pro corporibus, sed dicantur Spiritus & Vitales & Animales*; jam naturam Spiritus explicaturus removet id omne & nihilo accensèt, quod substantiæ immaterialis nomine venire nobis consvevit. *Quod autem attinet*, inquit, *ad idola Cerebri, sive Phantasmata, quæ videntur, & non sunt, qualia in speculis & somniis vel etiam aliquando per Cerebri intemperiem vigilantibus apparent, spectra sunt, & (quod Apostolus universaliter de Idolis dicit) nihil. Nihil, inquam, omninò ibi, ubi videntur esse, neque in cerebro ipso aliud, quàm tumultus ortus ab organorum agitatione. Homines autem, quorum animi aliis cogitationibus occupati, rerum causas non inquirunt, nesciunt, quomodo vocanda sint, & proinde facile perſvaderi possunt ab illis, quorum scientiam reverentur, ut vocent illa non Spectra, sed Corpora, putentque compacta esse ex aër*

per

per potentiam aliquam ſupernaturalem; etiam perſvaderi poſſunt alij, quod ſint ſpiritus; propterea, quod in loco, ubi videntur eſſe, tactu percipere nihil poſſunt. His ſuppoſitis, Scripturæ loca plurima, in quibus ſpirituum mentio injicitur, ita explicat, ut *ſpiritus* vel *inclinationem quandam*, vel *eminentem facultatem*, vel *morbum animi inſolitum* ſignificet; ſi minus, *talem eſſe locum*, dicit, *qui ſenſum noſtrum ſuperare exiſtimandus ſit.* Demum ſpiritus tum à ſcriptoribus Judæis, tum Græcis, modo *Corpora ſubtilia, ut aërem, ventus, ſpiritu & animalium*, modo *Phantaſmata* cenſeri aſſerit, *quæ nec realia ſint, nec diutius permaneant, quàm ſomnium & viſio, in quâ apparent. Quæ Phantaſmata*, inquit, *ſive Apparitiones, etſi ſubſtantiæ non ſint, ſed accidentia Organorum ſentiendi, quando tamen à Deo ad Voluntatem ſuam ſignificandam ſupernaturaliter producuntur, non impropriè nuncij à Deo, id eſt, Angeli appellantur. Et ſicut Gentes Phantaſmata ſomniantium, ſubſtantias reales eſſe exiſtimaverunt, & inde Doctrinam ſuam de Bonis & Malis Dæmonibus deduxerunt, ita etiam Judæi ſine V. T. auctoritate tenuerunt ferè omnes, (exceptis Sadducæis) apparitiones illas eſſe Angelos; nec dependere omninò à Phantaſiâ, ſed eſſe Dei Creaturas permanentes; & ut Græci, alios eorum Bonos eſſe, & Angelos Dei; alios Malos, qualis erat ſpiritus Python, & ſpiritus hominis mente capti vel Lunatici vel Epileptici. Nam hujuſmodi homines apud Judæos habebantur pro Dæmoniacis.* Hoc verò eſt, quod ex Scripturâ demonſtrare ſatagit. Inde in locis Teſtamenti Veteris, ubi Angelorum mentio fit: *plerumque*, ait, *ſi non ſemper, per Angelum denotari ideam aliquam in Phantaſiâ excitatam à Deo, ad ſignificandam præſentiam divinam, in operatione ejus aliquâ ſupernaturali, uti ex Gen. 16, 17. c. 19. 13. aliiſque in Scripturâ relatis apparitionibus viſionibusq; conſtet.* Et ſanè poterant hæc ſufficere ad indicandam hominis ſententiam, quâ quicquid attribui ſubſtantiæ ſpiritibus poteſt, in merum convertere cerebri ludibrium conatus fuerit, ut intelligerent omnes, quod Hobbeſio *Angeli reales & permanentes ſubſtantiæ non ſint, ſed Phantaſmata ſupernaturalia; & Angelorum adeò nomen eſſe Officij, ſpirituſque omnes propter diaphaneitatem ſubſtantiæ ſpiritualis inviſibiles nec videri niſi eo ſenſu, quod videri dicuntur Phantaſmata in ſpeculo, ſomno, vel tenebris;* ſicut ipſe ſententiam *Capitis 34.* explicat *in Append. ad Leviath. c. 3. p. 362.* ſed eo non contentus, Philoſophos etiam redarguit. *c. 45. p. 305. ſqq.* quod meliorem ingerere ſenſum vulgo non intenderint, quàm ut

ſubſtantiam

ſtantiam quandam incorpoream, eamque extra & præter conceptûs animi exiſtentem comminiſcerentur, quæ nonnunquam corpore ex aëre deſumpto induta apparere ſenſibus conſueverit. Ille verò apparitiones illas non aliter contingere exiſtimat, quàm uti ab Objectis Viſibilibus tum in Lineâ directâ, tum in reflexâ & refractâ producuntur in hominibus Phantaſmata, ſive ipſorum Objectorum imagines. Quod, inquit, *cùm ignorarent Philoſophi Veteres, & multò magis illorum temporum homines alij, qui neglectis ſcientiis, ſtudebant tantùm divitiis vel acquirendis vel fruendis, ſententias eorum, qui vocabantur Philoſophici, neceſſariò ſequebantur, non penſitantes rationes, ſed verba tantùm accipientes, more eorum, qui ad oſcitationem aliorum oſcitant & ipſi. Philoſophorum autem alii Phantaſmata illa, quia non permanebant, ſed evaneſcebant, immaterialia, incorporea, formas ſine materia, colorem & figuram ſine corpore colorato & figurato eſſe exiſtimabant, & quæ corpora aërea induere quaſi veſtem poſſent, quoties oculis hominum videri vellent. Alij autem corpora ea eſſe, & animata, ſed facta ex aëre, aliave ſubtiliore materiâ, quam, cùm videri vellent, condenſabant. In hoc autem conſenſerunt omnes, quod eſſent Dæmones, non minùs ineptè, quam ſi, quos vident in ſomniis homines defunctos, animas eorum hominum eſſe dicant, quos ante vivos viderant; vel, ſi formas ſuas in ſpeculo viſas animas ſuas, vel ſtellas in aqua viſas ſtellarum animas appellarent. Item (quod neceſſariò ſequebatur) Phantaſmata quædam ita metuerunt, quaſi quæ juvandi & nocendi potentiam ſine limite haberent.* Taceo jam, quomodo, quæ hactenus Phantaſmata & Idola cerebri dicebantur Hobbeſio, eadem Dæmonia, totaque de illis Doctrina *fabulis anilibus* ab ipſo accenſeatur, *Cap. 44. p. 290.* quomodo idem *c. 45. ex metu Dæmoniorum conſtitutam artem quandam Dæmonologiæ, quam Religionem dixerint, ut eâ viâ metum civium regerent ad pacem publicam*, profanè aſſeruerit: illud verò prope ad blaſphemiam accedit, quod *c. 54. p. 306.* aſſerit; *Doctrinam Judæorum de Dæmonibus veram non eſſe, ſed Chriſtum tamen formis loquendi uſum hujusmodi fuiſſe, quæ Doctrinam illam confirmare videntur.*

§. 3. Talia certè hæc ſunt, quæ ſine indignatione dimitti à cordatis mentibus non poſſunt; ſed placuerunt tamen Spinozæ, ut cùm aliàs ſputum ipſe Hobbeſii cupidè lambat, & hic in eodem verſari luto voluerit. Monſtrum illud hominis, quod portentosâ opinionum vertigine ageretur, arcuerant à cultu ſuo & ſacrorum Religione Judæi,

quos inter natus ipse & educatus fuerat, cùm non sine ingenti futurâ clade & ignominiâ Christianæ rei nomen suum inter Christianos profiteretur. Philosophiæ studium Juvenis excoluerat, sed monstri aliquid, jam cùm illa ætate esset, sustentans animo & volvens, ad Præceptorum suorum præcepta & docendi institutum nauseâ quadam ferebatur. Monumenta verò Cartesii, quod à Veterum abire studiis videri poterant, imprimis exosculabatur, cumque otio abundaret, quod ad subeundem munus publicum persvaderi non poterat, novandis rebus omnibus, obscurandoque & intervertendo Numinis sensui magnopere se impendebat, donec Amstelodami primùm, (ubi & natus erat) tum Renoburgi, deinde Voorburgi aliquo temporis spatio vitam transigens, tandem Hagæ Comitis, cùm annum ætatis quadragesimum quartum transegisset, Anno 1677. animam efflaret; Vir, si ingenium spectes, nemini secundus, si mentem & rebus sacris nocendi conatum, ipsis Atheorum Promachis accensendus, & ad nequitiam omninò factus; cujus in Physicis pariter & Morum Civilique Prudentia ille unus labor erat, ut Deum in Naturam rerum Mechanico opere transformaret, semina justi & injusti tolleret, Rempublicam in latrociniorum Officinam converteret, in explanandis autem sacri Codicis Oraculis, ut summa imis miscere, omnemqve sensum numinis eradicare ex animis hominum valeret, id omni contentione magnoqve labore instituit. Mirum foret, dum hoc moliretur Hobbes, si Diabolum superesse permisisset, cujus horribili exemplo ad probitatem sectandam adduci homines posse videbat, & Vindicem dari scelerum flagitiorumqve cognoscere poterant, in ipsam adeò Numinis Existentiam facili assensu asserendam deducendi. Hic vero qvantus, qvantus est, Hobbesium sapit, nec quicqvam fere comminiscitur, cujus in illius Leviathane, vestigia inveniri non possent. Quædam hujus commatis referam, ut auctoris sententia clariùs nobis & ex rei veritate animadversa ante oculos ponatur. *In Tractatu Theologico Politico C. 2.* ubi docere instituerat, Prophetis nihil adfuisse Divini, sed eos potentia tantùm vividius imaginandi instructos fuisse, & se accommodare ad sententias vulgi apprimè potuisse, *de ipso Salvatore nostro* ita differit: *nec aliter de Christi rationibus, quibus Pharisæos contumaciæ, & ignorantiæ convincit, discipulosque ad veram vitam hortatur, statuendum; quod nempe suas rationes opinionibus & principiis uniuscujusq; accommodaverit*; e. g. *cùm Pharisæis dixit, vide Matth. C. II.*

vers.

vers. 26. Et si Satanas Satanam ejicit, adversus seipsum divisus est; quomodo igitur stare Regnum ejus potest; nihil nisi Pharisæos ex principiis suis convincere voluit; non autem docere, dari Dæmones, aut aliquod Dæmonum regnum; sic etiam, cùm discipulis dixit Matth. 18, 10. Videte, ne contemnatis unum ex parvis istis; dico enim vobis: Angelos eorum in Cœlis &c. nihil aliud docere vult, quàm, ne sint superbi, & ne aliquem contemnant, non verò aliqua, quæ in ipsius rationibus, quas tantùm adfert ad rem discipulis meliùs persvadendum, continentur. Neque tamen hic substitit perversa animi persvasio, sed cùm esset, qui ad Spinozam scriberet, se sententiam ipsius de apparitionibus, & spectris, vel lemuribus desiderare, & si dentur, quid de illis videatur Spinozæ; *Vid. Epist. 55. p. 564.* ille sequentibus statim literis ad eum modum respondet, ut omnem spectrorum, quibus sese ingerant Dæmones, fidem sublevet. *Quamvis forte*, inquit, *alij malum esse omen putarent, vel Lemures causam ad me scribendi fuisse; ego tamen econtra majus quid in eo noto, res non tantùm veras; sed & nugas, atq; imaginationes mihi usui esse posse perpendo. - - Et hactenus, quid sint (spectra) ignoro, nemoque mihi unquam id potuit indicare, certum tamen est, quod de re, quam tam clarè monstrat experientia, debemus scire, quid sit; alioquin difficillimè ex aliqua historia spectra dari colligimus; colligitur quidem aliquid esse, quod tamen nemo scit, quid sit. Si Philosophi, quæ ignoramus, spectra nominare volunt, ea haud negabo, quia res infinitæ sunt, quæ me latent.* Post pauca: *Dic quæso mihi, quænam res hæc spectra, vel spiritûs sint. Suntne infantes, stulti vel insani? Quia quæ de iis auribus hausi, potiùs insipientibus, quam sapientibus conveniunt, quæque, ut ea in meliorem interpretemur partem, rebus puerilibus,* vel *stultorum delectamentis similiora sunt. Hujus rei, præcipua, ut credo, ratio est, quod, quia ejusmodi Historiæ non alios habent testes, nisi earum narratores, harum inventor pro lubitu, circumstantias, quæ ei commodissimæ videntur, vel addere vel demere potest, nec timet, ut sibi quisquam contradicat, speciatim verò eas fingit, ut metum, quem de somniis & phantasmatis concepit, justificet, vel etiam, ut audaciam, fidem & opinionem suam stabiliat.* Non melius de re existimat, epist. 58. p. 569. quando ait: *Videamus, an ego, qui nego spectra aut spiritus dari, eò minus istos Scriptores, qui de hoc negotio scripserunt, intelligam; an tu, qui ea existere statuis, hos scriptores non pluris, quàm merentur, facias. Si tam claram de spectris, quam de triangulo vel circulo haberem ideam,*

nullatenus dubitarem, statuere, ea à Deo creata fuisse: Verumenim verò, quandoquidem Idea, quam de iis habeo, omninò cum Ideis convenit, quas de Harpyis, Gryphis, Hydris, &c. in meâ deprehendo imaginatione, ea non aliter, quàm somnia, considerare possum, quæ à Deo tantoperè, quàm Ens & Non-Ens discrepant. Concludit tandem: *Omnes, qui mortalium imaginationum & pathematum effectûs perpendunt, talia ridere debent, quicquid etiam Lavaterus, aliiq;, qui cum eo hoc in negotio somniarunt, in contrarium producant.* Non possum, quin deniqve ea adjiciam, quibus Spinoza excipiebat *Albertum Burgh*, cùm is, dolere se, scripserat, quod cùm ingenii dotibus præstaret Spinoza, à misero superbissimoq; scelestorum spirituum Principe circumduci seseac decipi pateretur. Totam enim Philosophiam ejus nil nisi meram illusionem esse, atqve chimæram. Ad hæc Spinoza: *Cùm mentis compos eras, Deum infinitum, ni fallor, adorabas, cujus virtute omnia absolutè fiunt, & conservantur; jam verò Principem Dei hostem somnias, qui invito Deo homines plerosq; (rari quippe boni) circumducit, & decipit, quos propterea DEus huic scelerum Magistro in æternum cruciandos tradit. Patitur ergò Divina Justitia, ut Diabolus homines impunè decipiat; at minimè homines miserè ab ipso Deo, deceptos & circumductos, manere impunes.*

§. 4. Miror verò, si hoc hominum genus, quod omnem etiam apertissimorum sensuum rationem negat, *nimium intelligendo non facit tandem, ut nihil intelligat.* Spiritus dari eosque tum bonitate insignes, tum malitiæ deditissimos Scriptura loquitur, experientia probat, illi tamen ad hanc lucem cœcutiunt, & cùm mera meridies est, vigilantes quasi somniant in meris ingenii ludibriis ac *phantasmatibus intellectus, humanarumque cogitationum.* Hujus rei absurditatem ut demonstrem, non jam cum Hobbesio de Vocabulo *Spiritus* digladiabor, quod ille ad denotandam *Naturam immaterialem* perperam adhiberi, neque hoc sensu in sacris literis accipi, existimat. Uberius hoc argumentum discussimus *in pecul. sub nostro Præsidio habitâ An. 90. Dissert. de Spiritualitate Dei, Hobbesio oppositâ*; Neque verò & illud nostri nunc laboris argumentum erit, ut Angelos & Dæmones ex Phantasmatum censu exemptos, in numerum *Substantiarum realium* collocemus; à Theologis quidem explananda est & in apricum deduci facilè potest, illa, si quæ est, difficultas, quod Angelus non *Ideam* tantùm *in Phantasiâ excitatam* verbo & ore Spiritus S. denotet; sed cùm aliorum

studio

studio & hoc jam dudum confectum sit, quâ ratione & Oraculorum fides & Effectus Magici, & Ostenta pariter ac Prodigia, & Apparitiones Dæmonum, atque Spectra, miræque Diaboli penes Energumenos, obsessos, aliosq; ,Operationes, Principium aliquod Intelligens commonstrent, quod nec Deus est, nec bonus Angelus, nec homo quoque, & naturalis quædam operandi vis, quid amplius attinet, actum agere, & repetitis aliorum explicationibus vanas refellere Empectarum cogitationes, per quas in Cogitationum & Conceptuum seriem Dæmones referuntur. Vid. præ reliquis *Gerh. Joh. Vossius de Idolol. Gentil. L. 1. c. 6. Voëtius Disp. Sel. T. I. p. 909. sq. Delrio Disquis. Mag. L. 2. qv. 1.*

§. 5. Equidem, quod lubrico nitantur fundamento hæc asserta, & talia non sint, ut Dæmonum patrocinentur Existentiæ, haud paucos esse, qui existiment, non ignoro; Nam & Oraculorum fidem ab hominum ludibriis & deceptione repetunt, & Magiæ Dæmoniacæ artes, naturali productas in medium agendi peritiâ, eaque singulari & inusitata, existimant. At, uti illi quidem, qui Deum putarunt Oraculorum Autorem fuisse, in sanctitatem ejus injurii sunt, & Diaboli astutiam ignorant, qui quandoque bonis studere suggestionibus videtur, ut homines faciliùs decipiat; ita *Plutarchum* qvoqve, *Jamblichum*, *Petrum Pomponatium*, nec ita pridem *Antonium Van-Dalen in duabus de Oraculis Dissertationibus*, haud parum deceptos esse credimus, qvod vel ad Præstigias Sacerdotum Ethnicorum, vel Naturæ peculiarem quendam Spiritum, quando de Oraculis instituitur quæstio, rem omnem referri posse arbitrati sunt. Quanquam enim nec ego Sacrificulorum fuco rem illam caruisse omninò arbitror, cùm ipsi in suspicionem fraudis quandoque venerint, qui toties decipiebantur, Ethnici; *Vid. Vossius l. c. p. 44.* quin jam apud Ægyptios, inventos esse, constat, qui imagines quasdam tam affabrè fabricarunt, ut non tantùm voces effuderint, sed & divinandi quandam vim prodiderint, prout *Mercurius Trismegistus in Asclep. c. 9. & 13.* autor est; addatur *Cœl. Rhodig. Lect. Antiqu. L. 2. c. 7.* veruntamen, quod perpetuò ita factum, & non nisi Sacerdotum lusus reddiderint Oraculorum dicteria, vel ideò asserendum minime existimo, quod de futuris pronuntiabant, & divinabantur, opera proculdubio Principii extra naturalis hominis vires operantis; Et quis tandem ille Spiritus est, quem Plutarchus per vim quandam vatidicam generari asserit, eaque homines afflari? Mirum verò fuerit,

quare non omnes ejus operationem sentiant, quare non omni etiam tempore se prodiderit, cùm Oraculorum ætas vixante diluvium Noachicum computari queat,&vel Plurarchi tempore,quod in initium seculi post Christum natum secundi incidit, si non terminata, animam tamen agere velut senio confecta videri potuerit? Ridiculum est,quod sub mundi initia vim illam nondum fuisse conformatam, at postmodum effœtà jam tum terra, ejusmodi spirare exhalationes non potuisse, dicit Plutarchus, quæ si vires pristinas repeterent, nova nobis dare Oracula valerent; nam, si & id non inficiar, quod humana mens nonnihil concitari abs ejusmodi vaporum halitu possit; unde quæso, tantus in illo Spiritu conatus, ut distinctos animo conceptûs, eosdemque divinatorios impresserit? Vana hæc sunt, & ab ingenio profecta hominis sibi sapientis, commenta, quæ ne prolixiùs moveam, *Peucerus* effecit *in Comment de præcipuis generibus Divinationum p.m.107.seqq.* addatur *Dn. Mœbius Tract. de Oraculis passim.* Nos Diaboli operam in hominibus furiosis, mulierculis obsessis, somniantibusque, & per varias corporis partes sermonem edentibus & loquelam, tum in æneis lebetibus, statuis, arboribus, per quæ prodibant auditæ perceptæque voces Oraculorum, agnoscimus, tum verò in prodendis iis rebus, quæ humano ingenio perviæ non erant, & ab oraculis referebantur,ad humanam agendi facultatem provocari non patimur, persvasi omninò, quod vel ipsum tandem Oraculorum Silentium, docuerit, Dæmonem fuisse, qui hactenus miserè mortales deceperit, de qvo gloriantur Patres, *Eusebius de Vita Constant. M.L.2.c.49. Theodor. H.E. L. 2.c.9. Sozomenus L.5. c.18. Athanas. de Incarnat. verbi Tom.I. Chrysost. de laudibus Pauli Homil.4. Hilarius in Ps. 64. Nazianz. Orat. 29. & 47.*

§. 6. Neque aliter de Magiâ Dæmoniacâ sentimus: quam licet *Pomponatius* excuset, *de Incantam. c. 4.* & cum illo, magneticis quibusdam qualitatibus,tum imaginationis viribus,&melancholiæ,tribuant *Wierus*, & *Reginaldus Scot in Libr. cui tit. Discoverie of Witheraft* (in Angliâ combusto) aliique, de quibus videatur *Voët. D. S.T. 3. Disp. de Magiâ p. 564. seq.* non tamen effectûs omnes, quales etiam in disitum Corpus exercent Venefici, & Lamiæ, quique cùm ignorentur ab iis, & humano ingenio superiores sint, præter Diabolicam quandam colluſionem minimè fieri existimandum est; nam si secus habet, quare non omnium aut plurium saltem sit, transferre brevi tempore per aliquod

quod milliaria corpus ſuum; differere de rebus, quæ jam tum contingunt alibi; enecare vel ſolo adſpectu aut faſcinare ſaltem & bruta & homines; ut alia taceam in quibus quod Phantaſticum verſetur ab imaginatione, longè licet fortiſima, unicè profectum opus, dubium magis eſt, quàm ut imaginari tale quid, & concipere animo liceat.

§. 7. Quid dicam de Spectris? Ego verò uti Actiones Magicas, & ipſa etiam Oracula, quæ vigilantibus & ſanâ mente uſis obvenerunt, non phantaſticas deceptiones quasdam puto, quod phantaſia quidem imagines ſibi pingere, non tamen producere extra ſe miros iſtiusmodi effectus poteſt, qui & ab aliis ſentiantur, & in oculos incurrant, ita à ſpectris imprimis illud repeto, quod præter mentis noſtræ operam exiſtant Dæmones, agant & operentur. Dilucidius res illa nobis oſtendenda eſt, quoniam & Spiritus & earum apparitiones atque Spectra rident uterque noſtrorum Antagoniſtarum, & Naturæ aut ingenii quosdam luſus eſſe arbitrantur, quos cum vident rudiores, & qui harum rerum ignari ſunt, ſpectra ſe vidiſſe teſtantur. Verùm, niſi nos omnia fallunt, res ipſa aliud edocet, & tot exemplorum intemerata fides commonſtrat. Quotusquisque enim eſt, qui ignoret, quomodo familiariter quandoque cum homine agat per aſſumptum ſibique aptatum Corpus Diabolus? Adi foſſores metallorum, & familiares operas præſtare audies, videbis, ſubterraneos illos, ut vocant, homunculos, terras fodiendo, aquas infundendo, & in omni laborum genere impigros ſe præbendo, licet fruſtra ferè & incaſſum; *Videntur*, uti Wierus refert, *eſſe ſeneciones & veſtiti more metallicorum, i. e. vitteto induſio, & corio circum lumbos dependente induti. Hi*, inquit, *damnum non ſolent dare metallicis, ſed in puteis & cuniculis oberrant; & cùm nihil agant, ſe tamen in omni laborum genere videntur exercere; Non lædant unquam, niſi prius ipſi cachinno aut maledicto fuerint laceſſiti.* Recogitemus verò & Lares familiares, qui in Domibus oberrant, quos Germani, ut & Græci, Cobalos appellant, quod hominum ſunt imitatores. Nam quaſi lætitia geſtientes ſæpe rident, & miniſtrorum munia peragunt, deſcendunt è gradibus, oſtia aperiunt, ſtruunt ignem, hauriunt aquas, cibum & quæcunque alia cuique domui conſveta apparare videntur, cùm tamen revera nihil faciant. *Horum plerique*, ait Wierus, *rerum quoque futurarum ex occultis indiciis præſcij, ea, quæ poſt comperimus perfici, antea adminiſtrare audiuntur; ut etiam brevi adfore mercatores ſignis prænuntient,*

tient, qui merces venales sint ablaturi; qvod inde contigisse existimo, quoniam de itinere suo & agendi instituto colloquentes antea Mercatores audiverant Dæmones, tumqve illorum actûs repræsentant. Plura in hanc rem congessit *Wierus*, quæ sano accipienda judicio sunt, *de Præstig. Dæm. L.1.c.22.* add. *Henckelius in Oräine & Methodo curandi & cognoscendi Energumenos p.102. seqq.*

§. 8. Quod si nunc progredi ulteriùs & commonstrare vellem, quomodo luculentismâ variarum actionum serie existentiam suam prodiderint Dæmones per apparentium corporum visiones; multò redderetur clarisimum, à substantiali quadam Naturâ proficisci, quod nos tribuere Spectris consvevimus. An enim ignorare licet, quomodo sæpe vulneraverit homines Dæmon & excruciarit usque ad mortem? exempla habent *Lavaterus, & P. Boistaus Launæus in selectis historiis*; quomodo futurarum rerum, (quas vel ipse exequi constituerat, permittente DEo, vel sagacitate naturali hariolabatur Dæmon) nuncium egerit; videatur de Malo Bruti Genio *Plutarchus in Vita M. Bruti*; de Cimone, ante cujus mortẽ in thermis suspiria sæpe audita *Idem in Vitâ Cimonis*; de Druso, ex prædictione Mulierculæ apparentis mortuo, *Dio Cassius Histor. L. 55. init.* quomodo sæpe pulset, jaculetur, catenas trahat, exercitûs prælia referat, exempla dederunt Athenodorus *apud Plin. Secundum L. 7. Epist. 27. ad Suram Philosophum*; Athanasius Kircherus, apud *Schottum in Phys. Curios. L. 2. p. 218.* quomodo loca certa velut propriam sedem incolat hominibusque reddat impervia, & habitationi inepta, de eo *vid. Schott. l.c.* Prolixior horum omnium commemoratio foret, qvàm qvæ cum institutio nostra consentire possit, si in hanc rem ire pluribus ad oculum expositis declarationibus vellemus, liceat verò saltem ad Recentiorum Auctorum fidem provocare, si fortè etiam in hoc passu antiquitas fabulosa videatur, & Hobbesiana vel hoc modo in nihilum regere phantasmata poterimus. Notissimus est toto Orbe mons Gigantæus, inter Sudetes Bohemiam à Silesiâ separantes, Princeps; hujus in valle quod conspiciendum se se Spectrum præbeat, Germ. der Riebenzahl dictus, viatoribus sæpenumero illudens, nonnunquam & opem ferens, plenis omnium vocibus fertur; Quâ ratione arcem Tortellorum Parmæ anus quædam apparens per trecentos annos infestaverit, ex Cardano constat; notissimum quoque Glazense Spectrum Virginis est; si illas futurorum & mortis præcipuè Vates in splendidissimis

simis quibu d m Principum Aulis tacere debeo. Mentem verò subit memoria spectri, quod Henricus Conradi, Concionator Aulicus Geranus, in publicâ recitatione Lipsiæ habitâ descripsit; Crosnæ Silesiorum vixerat Anno M. DC. LIX. tempore verno Juvenis, Christophorus Monigke dictus, patriâ Servestanus, qui Pharmacopæo illius loci, in parandis Medicamentis, mercibusque distribuendis suam addixerat operam. Obiit ille, morte, quantum constat, naturali, & publicis ritibus exuviæ mandatæ terræ erant, cùm paucis ab obitu diebus in ædibus Pharmacopæi apparuit spectrum, vultu, vestituque non minus ac gestibus defunctum puerum exactè referens; consedit quippe in Officinâ Medicamentarii, obambulavit interdum, pyxides, vitra, & cistulas arōmaticas ex repositoriis atque arculis deprompsit, Medicamenta ac aromata lancibus admovit & examinavit, pharmaca arrepto pistillo non sine tumultuoso sonitu in mortario contudit, imò vel ipsas venundasse merces refertur, nummis citra suspicionem furti sedulò asservatis, suoque loco reconditis, omnia denique peregit, ab homine salvo ac superstite, quæ exspectari poterant. Nec tamen in eo acquievit, ut Pharmacopolæ ædes satis diu infestarit, horrido aspectu familiares perterrefecerit, ipsumque adeò hospitem podagrâ tum affectum, miserè divexarit, imò ereptis è manu schedulis medicinalibus, amotoque, quo utebatur, lychno, & post fornacem, vel aliorsum sepositō, molestias plurimas crearit; sed & prodire in publicum sustinuit, pallioqve humeris circumjecto per plateas incedere, nil quicquam obviantium aspectum curans, in ædes Civium se ingerere, iisque se obtrudere cœpit, quibus secum, dum in vivis esset, familiaritas quædam intercesserit. Etsi verò societate ita delectari videretur, neminem tamen verbis unquam salutavit, vel provocavit ad colloquium, nisi unicam ancillam, quam non procul à Cœmiterio sibi obviam hortatus perhibetur, ut in domum Pharmacopæi se conferret, foderet humum in abditiori officinæ cameræ, & effoderet thesaurum per omnem ætatem pauperculæ suffecturum. Non tulit consternata puella infelix consortium, & terrimum maximè, quem molestus monitor exhalavit fœtorem, sed ad terram prostrata conticuit. Spectrum quidem auxiliatrices subjiciendo manūs, miseram levavit in pedes, at duriter adeò, ut certis in partibus corporis lividæ maculæ digitorum impressorum conspicerentur. Ancilla verò domum reversa ex morbo decubuit. In loco porrò, quem

perscrutari jusserat impostor, pretiosi nihil latuit, præter unicam in olla squalida hæmatitem, vel duos rubicundos lapides, quod alii volunt. Tandem jussu Principis, Elisabetæ Charlottæ, perlustratum cadaver defuncti juvenis, inventumque putridum potius & tabe defluens, quàm cum ullo vel mutati situs, vel illatæ violentiæ signo. Desæviisse postea ferunt importunum hospitem, nec apparuisse amplius, vestibus ac reculis demortui è domo hospitis aliorsum translatis. Plura, quæ afferre possem, de miris Spectrorum, & vetustiorum, & nostri ævi gesticulationibus indutisque formis, datâ operâ prætergredior; Qui de strepitu, vocibusque, & variis spectrorum apparitionibus, quæ plerumque ante magnorum Principum obitum audiuntur ac conspiciuntur, aliisque huc pertinentibus, legere satagit, vid. *Philipp. Camer. in hor. succis. Centur. 1. C. 72. 73. & Cent. 2. c. 15. seqq. Cardanum de rerum varietate l. 16. c. 93. Richer. Axiom. Oeconom. c. 2. Lavaterum de spectris P. 1. Majolum in diebus canicul. tom. 7. colloqv. 3. p. 144. sqq. Schottum Phys. Cur. L. 2. p. 202. sqq. Delrio L. 2. qv. 27. sect. 2. Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 2. c. 9. Wierum de Præstigiis Daemon. Libro 1. c. 15. sqq.* Integram horum auctorum Bibliothecam texit *Voet. Diss. Sel. Tom. III. diss. de Spectris.*

§. 9. Sed fortè hæc omnia vento dicta sunt; Nam Hobbesius tantùm abest, ex his gestis Principium aliquod peculiare & ab homine distinctum agnoscat, ut quicquid hæ narrationes continent, *anilibus fabulis* accenseat *hominum somniantium, qui cùm oscitaverint ipsi, in eandem & alios inducere oscitationem sategerunt*; Spinoza verò *insipientibus* hoc quicquid est operis attribuit, qui ea referant, quæ *rebus puerilibus, vel stultorum delectamentis similiora sunt*; & si quid veri habent, illud omne à Phantasiâ mutuantur, utiis constet, *qui imaginationum & pathematum effectus perpendunt*; cæteris *mente exutis*, qui talia credant, & sibimet ipsis non constant. Non possum, quin, quod ipse nobis objicit Spinoza, hic expromam: *Quantum ad historias attinet*, (verba ejus sunt *Epist. 58. p. 572.*) *jam in primâ meâ Epistolâ dixi, me eas non omninò, sed inde deductam Conclusionem negare. Huic accedit, quod eas non adeò fide dignas habeam, ut de multis circumstantiis non dubitem quas sæpius addunt, magis ut ornent, quam ut historiæ Veritatem, vel id, quod inde volunt concludere, aptius efficiant. Speraveram, ut ex tot historiis, saltem unam alteramve proferres, de quâ minimè dubitare liceret, quæque clarissimè spectra, vel lemures existere, ostenderet.* Post pauca:

Ut

Ut brevis sim, me ad Julium Cæsarem refero, qui teste Svetonio, hæc ridebat, & tamen felix erat, juxta id, quod Svetonius de hoc Principe in Vitâ ejus cap. 59. narrat.

§. 10. Enimverò nec Hobbesius nec Spinoza primi fuut, qui contra tot testium fidem audacter in hunc modum depugnarunt. Epicurum jam olim, ejusqve scholam idem sibi sumpsisse negotium, ut spectrorum veritatem inficiarentur, quod illâ assertâ multùm decessisse conatui suo ad omnem libidinem & ἀθεότητα grassandi, animadverterent, accepimus; unde tantò minus Spinozam miror, in hoc eodem argumento ita dissentem: *Non multùm apud me autoritas Platonis, Aristotelis ac Socratis valet. Miratus fuissem, si Epicurum, Democritum, Lucretium, vel aliquem ex Atomistis, Atomorumqve defensoribus protulisses; non enim mirandum est, eos, qui Qualitates occultas, Species intentionales, formas substantiales, ac mille alias nugas commenti sunt, spectra & lemures excogitasse, & vetulis credidisse, ut Democriti autoritatem elevarent, &c. Epist. 60. p. 580.* De aliis, qui cum Epicuro senserunt, cùm ante hac à nobis dictum sit, omninò taceo: Hobbesii autem vestigiis eadem via secutus est ante aliquot annos quidam, Saduciſmum professus, *Joh. Websterus.* Nam cum Anno 1661. Tedworthi in Anglia spectrum appareret, quod importunâ tympanorum invisibilium pulsatione, variisqve ludibriis aliis ædes Mompessonianas valde infestabat, illudqve auditum ab ipso Glanvilio Theologo, aliisqve pluribus coram fuisset, ut nulla subesse fraudis suspicio videretur, hic *Josephus Glanvilius, Capellanus Regius, & Societatis Regiæ Socius,* ut Sadducæismo tum in Anglia multorum animos occupanti ire obviam posset, Historiam spectri illius edidit, sub tit: *The Dæmon of Tedworth*, additis de Magia Meditationibus: (*Considerations about Witheraft*) Hunc oppugnandum sibi postea sumpsit *J. Websterus*, edita Magiæ Explicatione, (*Display of Witheraft*) qua & Dæmonem illum, Mompessonii & Glanvilii fraudibus confictum, & sagarum atqve Dæmonum commercia mutuò falso jactari, nec nisi in Melancholicorum aut impostorum cerebris nata, conatus est evincere. Factum inde, ut edita una alterave Epistola Narrationi suæ, Veritatis intemeratæ honorem assertum iverint uterqve, donec Glanvilius svasu Henrici Mori, qui per Epistolam illum propterea compellaverat, justo Opere Websterum refutare conatus est, sub tit: *Saduciſmus Triumfatus, Or ful and plain evi-*

dence concerning Withes and Apparitions, h.e. vel Evidens ac plana Assertio Sagarum & Spectrorum; quod opus, cum Autor ei immortuus esset, sub hoc titulo, ab Amico antea revisum, prodiit: quid de illo habendum, & quomodo spectrorum veritatem ancipiti judicio Glanvilius stabiliat, ostendunt *Acta Erud. Lipsi. Mens. August. A. 1683. p. 317. sqq.*

§. 11. Enimverò, ut dicam qvod res est, ego quidem non diffiteor, pro spectris sæpe numero & Diabolica arte accipi, qvod si rectè consideres, nullum cum Dæmonis operationibus commercium unquam habuit. Liceat unam alteramve rei causam afferre: Multùm certè ad ejusmodi phantasmata condenda facit crassus penes nonnullos & impurus sangvis, ex quo melancholici & duriores halitus atqve vapores prodeunt, qui quando, laudabili sangvini miscentur, unaqve cum illo per corpus se diffundunt, & ad cerebri nervos pertingunt, tum verò motu & calore boni sangvinis, qvod alienum & noxium est, excutere conantis, vario modo agitantur, sic ut modò in unum coëant, modò dissipentur, quod cùm fit, jam variæ conduntur rerum species, imò sæpiùs imagunculæ horribiles, haud secus ac vapores ex terra mariqve ascendentes varia simulacra in aëre & nubibus efformant, nobisqve repræsentant. Hæ verò species dum phantasiæ objiciuntur, illam conturbant, spiritum animalem excitant ad pingenda sibi fingendaqve phantasmata, ut falsa sæpe pro veris acceptet. Hujus rei Observationes apud Medicos haud infrequenter occurrunt. Ita in Epilepticis observavit *Salmuthus Centur. 3. Observat. 41.* qvod tum ante, tum post paroxysmum spectra se videre, arbitrati sint. Viro cuidam febre maligna laboranti sexto morbi die horis matutinis spectra rubra ante oculos apparuisse refert *Rolfincius Consil. Medic. l. 4. Consult. 9. & lib. 8. Consult. 9.* idem aliam hujus rei suppeditat historiam. Juvenis quidam Romanus, cujus mentionem facit *Galenus L. de præsag. c. 12.* morbo gravi laborans, rubrum serpentem ad cubiculi laquearia oberrantem videre visus est, quo perterritus è lecto subinde exiliit, unde Galenus futuram hæmorrhagiam prædixit. Tantùm verò potest in hac re Phantasia! Hujus si vel naturalis imbecillitas est, vel ascititia, de qua dixi, & morbosa discrasia seu frigiditas, ab externis fortuitò occurrentibus Imaginatio antea non salva, vanas sibi figuras elicit, volvit ac revolvit, & depravatas sub objecti veri prætextu rationi exhibet, velut horrendas, metuendas, & mœrore summo contristantes. Theologum quendam producit

Tandlerus

Tandlerus in Dissertat. Physico- Medicis in Orat. de Spectris p. 16. qui se stellas à Cœlo cadentes videre, in inferno sepultum jacere, & sulphur ignitum exhalare, asseveravit. Huic, juxta Tandlerum, jejunia studiorumqve fervor sangvinis adustionem incoacervaverant, dubio cerebro procul & divitis epulonis in gehennam detrusi consideratio accesserat, hinc sangvinis adusti ad cerebrum evaporatio tales ipsi imagines astrorum delabentium, inferni, sulphurisqve accensi inferebat. Mitto phantasmata ebriorum, quibus ob spirituum & humorum in cerebro agitationem ac perturbationem accidit ut putent,

Non unum solem ac geminas se cernere Phœbas.

§. 12. Quodsi jam visionis quoqve medium, sive Organum, & Somni tandem rationem respicias, ubiqve occurret, qvod quasi quædam spectra excitare possit. Medium enim, per qvod videmus, si alienâ qvalitate perfundatur vel incrassetur, vel clanculum moveatur, multiformia in aspectum producet phantasmata. Spiritus Vini in mensam effusus & accensus, noctu convivantium vultus formidabiles, ac mortuorum similes efficit, ob aërem medium colore pallido illustratum. Et radii solares ex adverso in roridam nubem incidentes, versicolorem Iridem pulcherrimè fingunt. Sic est, qvod Coculium vocant, micans luce quaternarum stellularum, quarum si quis pingvedine manus & faciem inungat, ardens & formidabile spectrum apparebit, teste *Chieza Hist. Poruan C. 30.* Eâdem ratione, & Organon, quo videmus, causam sæpius præbet concipiendi spectra; oculus scilicet impuritate & opacitate spirituum animalium præpeditur; hinc mens ipsa veras objectorum imagines non assequitur, sed in obscuro velut tenebricosas, horrendas & inimicas inspicit ac abominatur. Omnium verò maximè ad Naturam spectrorum accedere id videtur, qvod per somnia qviescentibus offertur. Pausaniæ quidem Spartiatæ dormienti totas noctes obversata est Cleonicæ, Virginis Byzantiæ, imago, eumqve græco versu esse periturum prædixit. Respondit etiam eventus exasse prædictis, referente *Peucero de Divinat. tit. Magiâ.* Qui & aliud narrat exemplum ibidem, de Villici in Apuliâ amisso filio. Sed tamen hæc ejusqve generis alia à Dæmone omninò profecta puto, aliter illis accidit, qui somniantes nescio quæ monstra observari sibi putant, clamant, præliantur, depugnant; non alio faciliore argumento, quantum efficere phantasiæ vires possint, si Rationis imperio non coërceantur. De hujuscemodi

ſpectris phantaſticis, at ex naturalibus cauſis productis, plura videri poſſunt apud *Loleyherium L. 1. de ſpectris, c. 6. ſq.* add. etiam *Voetius P. II. D. S. Diſſ. de Nat. & Oper. Dæmonum p. 691.*

§. 13. Et quid de eo dicam, quod & Artificis comparata manu Opera, apparentiam aliquam corporis inſoliti, & quod ultra naturæ vires agat, objicere oculis valida ſint? qualia erant Dædali quondam αὐτόματα, de quibus *Ariſtoteles L. 1. de Animâ*: alia item Archimedis, Archytæ ac Boëtii, atqve illa priori ſeculo oblata Carolo V. aquila ænea, volans per aërem, & quæ plura ſunt, artificioſa, ut ſic dicam, Spectra, quorum conficiendorum modum docent *Cardanus de Variet. rer. & Bapt. Porta de Magiâ Natur. L. 16. C. 8. 9. &c.* quorſum deinde etiam referuntur artificioſæ quorundam voces, quibus cùm ore loquantur, ex ventre videntur referre verba, ſicque Dæmonum mentiuntur loquelam, Conf. qui glaucomatum & artificialium & naturalium exempla plura exhibet *Delrio Diſquiſ. Mag. L. 2. qv. 27. Sect. 1.* Ne tamen de antiquis tantùm dicamus artificum in hâc re inventis, recentiora ſunt, qualia oſtentat Electoralis Camera Dresdenſis, illud artificiorum maximè inſignium compendium. Et pertinet huc ante omnia ſpeculum illud aërium Rheginorum in freto Siculo, quod in aëre offert Theatrum multarum rerum, varietate, columnis, ædificiis, beſtiis, hominibus ornatum, de qvo vid. *Ath. Kircherum de arte Lucis & Umbræ lib. 10. p. 2. c. 1.* Cæterum minoris artis opera ſunt teſtudines vel cancri, cum candelis affixis oberrantes in Cæmiteriis, quamvis & illos huc referat *Lelogerius L. 1. de Spectris c. 7. ſqq.* necnon ſervi induti ſquamis lucentibus, & manu tenentes haſtas ex ramis putridis noctu lucere ſolitis, qui tanquam à DEO miſſi victoriæ ſponſores, noctu milites Scotiæ Regis Kennethi ad foriter in eundam pugnam contra Pictos hortati ſunt, unde hi deinde ad internecionem deleti fuerunt, qvod ex Boetio refert *Delrio l. c.*

§. 14. Ex hactenus dictis patet, quomodo & Naturæ & Artis Opera ſæpe imponant hominibus, ut ſpectra adeſſe & Diabolicum Corpus putent; neſcio verò, quomodo non etiam Dæmonis quandam operam ſibi imaginentur rudiores, quando quæ manuum expediuntur agilitate & induſtria ab hiſtrionibus & joculatoribus, vulgi oculis exponuntur. Refert & talia ad præſentem ſcopum *Wierus*, & varia commemorat circulatoriæ hujus artis facta & exempla, *de Præſtigiis Dæm. l. 1. c. 18.*

§. 15.

§. 15. Faciunt verò hæc omnia ad id, ut intelligamus, nos faciles concedere Hobbesio & Spinozæ, qvod quæ spectrorum aliquando & Dæmonum apparentium nomine veniunt, ab operatione Diabolicâ multum sæpe aliena sint; Sed fallor, aut Antagonistæ nostri fortius etiam invenire sententiæ suæ argumentum potuissent, si præeunte *Campanella*, qui sensum aliquem luci attribuebat, unde, quicquid erat Magicarum operationum defendere poterat, opinionem arripuissent, quæ aliàs *Marcum Marci* tenuit *in Philos. suâ veteri restitutâ P. 3. Sect. 2.* ubi prolixè disputat, *esse aliquam unionem objectorum & animarum in corpore existentium, etiam præter sensus.* Fingit enim aliqvod Chaos aëreum & mentale, illud Idæis seminalibus; hoc, cujus subjectum cerebrum est speciebus imaginativis plenum. Utriusqve esse occultam aliquam Sympathiam, unde contingat sæpe, ut species imaginativæ, quæ chao mentali observantur, aërem in eadem simulachra convertant, præprimis, si fortè tales Ideæ quædam seminales in chao aëreo vagentur. Quare in potestate Hominis Melancholici esse existimat, Spectra sibi in aëre efformare. Hinc ecstaticos videre, quæ in longinquis locis fiunt. Ad has causas refert, quæ in Africæ locis supra Syrtim, teste *Diodoro Siculo L. 3.* in tranquillo ac sereno aëre conspiciuntur variorum animalium species, & phasma illud aëreum, qvod Morgana dicitur, ac similia alia, quæ *Kircherius L. 10. de Arte lucis & umbræ part. 2. c. 1.* ad rationes opticas reduxit.

§. 16. Sed hæc, quæ ab aliis examinata fuerunt, prolixiora sunt, quam ut nunc à me evolvi possint uberius. Multo plura darem, si de ineptiis referre placeret, anilibus & indoctis, quibus vim qvandam fascinatricem oculorum sibi nonnulli concipiunt, cùm potissima harum præstigiarum pars vim & speciem aliquam physici effectus exhibeat. Ac est sanè rerum naturalium, qvod Civilium, fatum, ut libenter ipsi fingamus portentosas historias, & svavibus fabulis lubenter nobis imponi patiamur; Largâ manu hæc omnia cumulavit *Frommanus in L. de fascinatione*, & experientia, rationibus & autoritatibus defendere eadem allaborat *Menasse Ben-Israel in addendis ad Conciliat. Pentateuchi*, quæ hispanico idiomate producit *Wagenseilius in Sotâ p. 763.* & in lat. lingvam convertit *p. 1139.* videatur etiam eâ de re *Marcus Marci l. c. part. 5. Sect. 2. & 3.* qui in idearum suarum Principiis facile harum rerum causas invenit. Taceant verò nunc Hobbesius atqve Spinoza, nec

de

de proniore hominum in asserenda spectra Diabolica consensu querantur. Nos discernere umbram à Corpore didicimus nec faciliùs credendo decipi mentem in his rebus patimur. Sed num propterea, quoniam objecta Dæmonem toties mentiuntur, non verò possident illum & actu ipso referunt, omnem inficiabimur spectrorum Diabolicorum existentiam, qvod volunt empectæ, ut nullum tandem dari Dæmonem credamus? non puto: imò verò istiusmodi ludificationibus sensuum, tum naturalibus tum arte factis, quales enarravimus, sæpe abuti Dæmones arbitramur, ut vel ex illis colligi eorum præsentia possit. Sed etiamsi nec ita quidem luderet Cacodæmon, ipse tamen haud rarò in adscititio corpore, qvod ad tempus sibi adaptavit, coram facie hominum comparet, agit, operatur. Quæris, ex quâ tandem ratione id ipsum constet? Non ad *Thomæ* argumentum provocabo, *P. 1. qv. 51. a. 1.* qui evicturus, qvod saltem per solam imaginationis immutationem aut etiam sensuum externorum in iis, quibus sese offerunt, apparitiones istiusmodi fiant, illa putat, quæ immutatione solius potentiæ apparent, non conspici ab omnibus indifferenter, qui præsentes sunt; qvod ratiocinium avidè arripiunt *Ludov. Molina in 1. Thom. qv. 51. p. 544.* & *Franc. Amicus Cursus Theol. Tom. 2. Disp. 4. Sect. 1. p. 68.* quos verò advertere oportuisset, qvod interdum possit Angelus exteriùs apparere alicui visibiliter, ita, ut per oculos corporis ab ipso concipiatur, ab aliis tamen circumstantibus non apprehensus quæ observatio est *Svarezij P. 2. Disp. in 1. Thom. L. 4. C. 33. p. 347.* Ego sola historiarum fide, & quæ tota die fit, experientiæ testimonio, genuinum hîc ut plurimum adesse corpus, qvod à spiritu assumptum appareat, probari satis tutò posse confido. Corrumpatur licet aliquando variis phantasmatũ ludibriis imaginatio, & *tumultus in cerebro oriantur ex organorum agitatione*, non id semper fiet, non fiet penes plures in eodem loco congregatos. Non constet aliquando sibi oculorum acies, eluctabitur tamen ex obscuritate suâ tandem & tenebris; Fingat sibi portenta, & mentiatur vulgus hominum, qui *in causas rerum non inquirunt*, non & alii propterea delirabunt, quos, ut æra à lupinis discernant, ratio atqve judicium haud destituit. Frivolum est, existimare, qvod τῶν τυχόντων non tantùm, sed & sapientum calculus corrupta semper phantasiâ laboret, & sensuum dispositio, etiam cùm vigilat homo, & insomnis est, lædatur perpetuò, quando illi insoliti qvid & Diabolici operis objicitur.

§. 17. Sed

§. 17. Sed ita tamen Hobbes exiſtimat, & Spinoza arbitratur, qui, *quid ſint ſpectra, ignorat, nec unquam id indicari potuiſſe* dicit, *utrum infantes ſint, ſtulti vel inſani; quare tam diu ſpectra non aliter quam ſomnia habebit, & ideam, quam de iis in ſe deprehendit, cum ideis conferet, quas de Harpyis, Gryphis, Hydris in ſuâ imaginatione reperit, donec tam claram de Spectris, quam de triangulo vel circulo ſortiatur ideam.* Sed novimus, quorſum hæc colliment; ex Carteſii Scholâ didicit Spinoza, & recentiorum Philoſophorum placita ſequitur. Volunt illi, ſe omnium rerum cognoſcibilium ideas habere, ſufficit ipſis oculos claudere, ideas contemplari, quas ex ſuo theſauro mentis eruunt; volunt ad eas fallere neſcias fieri perceptiones, ad perceptiones Judicia, & illa ideò vera, h. e. cum objectis extra mentem convenientia, quia ad normam idearum & perceptionum efformata ſunt. Qvod ſi objecta cum his non congruant, claramqve adeò & diſtinctam perceptionem inſinuent, *falſa ſunt, nihil ſunt, idola cerebri ſunt, tantum à Deo diſtant, ut Ens & non ens.* Ita verò intellectus hominis Norma rerum exiſtentium conſtituitur, ut illa veritatem habeant, quando cum intellectu humano congruunt; abſurdum! qvod hactenus placuit, ut intellectus dicatur verè rem apprehendiſſe, ubi ita apprehendit, atqve res ipſa ſe habet. Habebimus ergo tandem intellectum, qui divinum cognoſcendi modum paſſibus æquis aſſequatur, nihil amplius obſcurum nobis & imperium erit, qvod revera dari credendum eſt; Age verò Spinoza, ſi id omne nihil eſt, qvod tu non apprehendis perſpicuâ ideâ & conceptu diſtincto, anne igitur DEum dari, quem ita concipere non potes, inficiari audes? Nos dicimus æternum Deum eſſe ſine ſucceſſione, immenſum ſine dimenſione, omnium liberorum actuum præſcium, eorumqve cauſam primam efficientem &c. Hæc tamen captum ſuperant idearum & intellectus, qvi in eorum aſſenſu acquieſcit, *non evidentiâ veritatis inſpecta, ſed altitudine inacceſſibili veritatis occultæ*, ut loqvitur Cajetanus in Thom. P. I. q. 22. art. 4. An tu illa negas propterea Spinoza? ſi facis, (quod animo te facere autumo, qvamvis ore aliud loquaris) non ego tecum amplius depugnabo, ſed graſſantem ad Atheiſmum ſuis ideis relinquam. Noſtra tamen ſalva nobis & minime impedita ſtabit ſententia, qui ſpectra dari & ſpiritus dicimus, ſi maxime tam claram de illis, atqve diſtinctam, quam de triangulo vel circulo ſortiri ideam non poſſemus. Senſuum judicio ferimur, & libenter quidem, qvod ſenſum

quemlibet, in proprio objecto ſuo, propinqvo, non nimium elongato, ſi organum vitiatum non eſt, & medio legitime conſtituto utimur, fallere non poſſe credimus: Harpyas, Gryphas, Hydras, quia nunquam apparuerunt, nunquam extra intellectum exiſterunt, ad cerebri figmenta referimus; aliter de ſpectris perſvaſ. quæ experientia confirmat, ſenſuum opera contemplari licet, & luculentiſſimis actionib9 ſuis omnem de ſe dubitandi pruriginem evellunt.

§. 18. Nihil eſt, qvod cauſatur Hobbeſius, *ex ignorantia Philoſophorum profectum eſſe, ut ſpectris adeſſe corpora, ex aëre facta, aliave ſubtiliore materiâ, dixerint,* & Dæmones affirmaverint illis uti, *non minus inepte, quam ſi, quos vident in ſomnis homines defunctos, animas eorum hominum eſſe dicant, quos ante vivos viderant, vel ſi formas ſuas in ſpeculo viſas, animas ſuas &c. appellarent.* Etenim, qvanquam recentiores ex lumine conſtipata hæc eſſe corpora arbitrentur, nos tamen non ignorantiæ tribuimus, ſed verè dictum à Philoſophis putamus, quod ex aëre conſtent hæc Corpora, non nudo, & in naturali diſpoſitione ſua relicto (ita enim ſubtilioris ſubſtantiæ aër eſt, quàm qui condenſari ita poſſit, ut ſolidi quid exhibeat, nec ita conſpici poteſt, tanquam qui perſpicuus viſum non terminat) ſed quoad ſtatum exiſtendi ſpectato, ſecundum quem impurus eſt, h. e. vaporibus exhalationibusq; permiſtus, ut per artem angelicam, ut ſic dicam, accedente fortiſſimâ compreſſione ita applicari ac transmutari queat, ut una inde ſubſtantia reſultet, apta ad talis corporis formationem, non inepta tamen etiam ad evanescentiam ſubitam, & quæ perculſa enſe, qvod ſæpe factum eſt, cedere enſi poſſit, nec ullam pati læſionem, id qvod cum Natura aëris conſentit, qui facile cedit ſtatimq; per conjunctionem partium ad ſtatum priſtinum regreditur. Hunc quando condenſatum redactumq; in corpus, qvod movetur, variasq; actiones exercet, vident homines, tangunt qvoq; & palpant, jam non ſomniantibus ſimiles falſum pro vero apprehendunt, non nudam ſpeciem intentionalem vel ſpiritalem contemplantur, uti fit in ſpeculo, ſed ipſum corpus adeſſe ſentiunt, quod de ſe ſpargere ſpecies intentionales poteſt, ab hominis oculo receptas. At inſtituti noſtri non eſt, de Materia horum corporum, eorumqve efformatione, qvod alibi à nobis factum eſt, ulteriùs nunc diſquirere: Neqve ea, quæ Hobbeſius maximè ex S. literis urget, hâc vice tangimus; id nobis ſuffeciſſe arbitramur, qvod utrumqve Antagoniſtam rationi & ſenſibus

sibus bellum intuliſſe ex hactenus dictis, conſtare poteſt; de cæterò ſi ad abſurda eorum dicteria omnia lima̅m addere vellemus, plura forent expedienda, neqve ſine cenſura vel in eo dimitti Hobbes poſſet, qvod *ſpectra* in corruptarum cogitationum numerum refert, & *nuntios tamen à Deo miſſos, eosq; non impropriè tales* appellari poſſe aſſerit, cùm omnibus exploratum ſit, nuntium propriè non dici, niſi de ſubſtantiâ ratione prædità, impropriè quandoq; de Epiſtolis, aliisqve. Sed valeat ille, fruatur & ſuo ſenſu Spinoza; noſtrum eſt, ut rationi obtemperemus, & quod illa dictitat, non *Judæorum Gentium q; ſomniis* tribui, non cũ *phantaſmatibus, quæ ab objectis viſibilibus tum in linea directa, tum in reflexa prodeunt*, minimè omnium cum eorum ſomniis, *qui mentis compotes non ſunt*, comparari patiamur. Quisquis toto orbe credente, dari ſpiritus, & apparere ſpectra ſæpius, non tamen credit, ſed phantaſmata ſomniat, ipſe magnum eſt phantaſma.

S. D. G.

Q. D. B. V.

Diſſertatio IV.

DE

Dæmonologia Bekkeri & Aliorum.

Reſpondente

GEORG. ABRAHAMO Wolf / Seyda-Miſnico.

§. 1.

DUm in omnium ore Balthaſar Bekkerus eſt, qui *Faſcinatum* nuper *Orbem* (idiomate Belgico *de Betoverde Weerela*) in medium protulit, tot hactenus judiciis impetitum, impugnantumqve, à nonnullis etiam defenſum Volumen, noſtræ nunc operis argumentum conſtituimus, ut Autoris mentem de Dæmonibus exponamus breviter, nec ſine cenſura dimittamus unum alterumve ejus dubium, quo inductus omnem omninò orbem erroris convincere, quamqve indignè hactenus de Diabolo crediderit, commonſtrare allaboravit. Dudum eſt, pluresqve abiere anni, quod Bekkerus ille novo ſcribendi docendiqve genere innotuit. Nam cùm in Friſiâ apud Franekeranos ſacro fungeretur officio, Catechiſmum, aut, ſi mavis, Commentarium quendam in Catechiſmum edidit, qui cùm abiit à Formu-

lis Doctrinæ Reformatæ hinc inde videretur, Synodi decreto damnatus est, Bekkero vel hac de causa alias quærente sedes, unde Hollandiam ingressus Amstelodami amicos invenit, qvorum opera Ministerio Ecclesiastico ibidem admotus fuit. Latebat hîc aliquandiu, nec, qvod mente conceperat, inauditum fere dogma de Diabolo publicæ luci prius exponebat, quàm ante binos prope annos, ubi Leowardiæ prodiit Liber ipsius, qvem modo appellavi, informa 8va typis exscriptus. Hic cùm monstri aliquid alere judicaretur, famam statim sui per circumjacentes terras extulit, & in omnium esse sermone cœpit, non ferente invidiam, quâ jam tum ferebatur opus, Bekkero, qui propterea surreptum sibi illud asserens, nec debita examinatum curâ prodiisse, (quanquam litem ei idcircò movit, & nihil in edendo Volumine præter Bekkeri consensum tentatum fuisse docuit Typographus Leovardiensis in pecul. Scripto, quod præmittitur Tractatui, *cui tit. Fascinatus Bekkerus*) de novo exire illud in publicum Amstelodami in forma IVta jussit, ut subinde nonnulla mutasse deprehenditur, quæ securius scripta ante fuerant, ita tamen, ut sententiam prioris Libri, qui Leovardiensis erat, servatam integram clariusqve expositam fateatur Bekkerus in Præfat. ipsius. Jamqve movisse cineres videbatur, & classicum cecinisse Autor, quando modò non quotidie prodibant, qui tecto ferè tacitoq; nomine aggrediebantur Bekkerum, inter quos refero Anonymos, qui *Fascinatum Bekkerum* (*de Betoverde Bekker*) it. *Diabolum exterminotum revocatum* (*de Gebannen duyvel weder ingeroepen*) scripserunt, & quem primo loco appellare debebam, Autor Pseudonymus הַגֶּבֶר ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ (quem Bekkerus Everhardum van der Hooght Ecclesiastem Niewendammensem in scripto pro se Apologetico appellat) *in Epistolis* contra Bekkerum Belgicè editis, quarum argumentum est, ut datâ operâ à capite ad calcem Bekkerum examinent, Scripturam S. vindicent, & quantum à Formulis Ecclesiarum Reformatarum Antagonista abeat, ostendant. Idem deinde egit VIR celeberrimus *Melchior Leydekkerus*, Theologus Ultrajectinus, edita *Dissertatione Historico-Theologicâ de Vulgato nuper Bekkeri Volumine & Scripturarum auctoritate ac veritate pro Christianâ Religione Apologeticâ*; & ante hunc Philosoph9 Ultrajectinus, *Samuel de Vries* (quanquam ille quasi aliud agendo Bekkerum tangat, qui dum hunc Librum meditaretur primùm Auctor, nondum podierat, *Vid. Præfat.*) in *L. Belgico, cui tit. est: Sathanas in*

Essen-

Essentia suâ, Proprietatibus, Actionibus & artibus circulatoriis declaratus &c. (*de Satan in sijn Weesen, Aert, Bedryfen Guychel-Spel vertoond &c.*) De aliis taceo, inprimis *Petro Schak*, Ecclesiaste Amstelodamensi, qui Dogma Bekkerianum de Diabolo *aliquot Concionibus* editis refutat; vindicante subinde, inprimis, contra Van der Hoeght, conatum sunm Bekkero, aliisqve ejus Fautoribus, qui *Satyricis* etiam *Scriptis* quibusdã dissentientes indignis modis exceperunt. Sed dum hæc à privatis geruntur, non silebant Collegia publica inter Batavos, quibus sacrorum cura demandata est. Multùm cum Bekkero egit Senatus Ecclesiasticus Amstelodamensis, ut ad meliorem mentem revocare Virum possent, sed nihil omninò proficientes, ad Classem, quam vocant, seu Majorem Senatum Ecclesiasticum rem detulit, in quo benignos subinde Judices inveniisse Bekkerum, resqve eò redacta hoc Anno die 22. Januar. videbatur, ut si Nomen subscribere paucis quibusdam Conditionibus propositis, (Articulos vocant) Bekkerus vellet, & interponere pro eo fidem suam vellet, qvod in posterum servaturus sibi esset sententiam, nec expositurus in publicum, ille Ecclesiastico Muneri obeundo relinqueretur. Sed pondus omni negotio Synodus attulit Hollandiæ Borealis, apud Edammenses primum, tum Alkamaarienses habita, ad quam provocaverat sub initium; deinceps verò, cùm negotium non ex voto procedere deprehendisset, contra illam publico Scripto, velut Judicem nullius in se potestatis, dixerat Bekkerus. Hæc verò examinatâ diligenter per Ecclesiæ Ministros sententia mente qv; auctoris, Librum primò Bekkerianum damnavit, tum ab ipso, ut publicè palinodiam caneret, & quod Ecclesiæ haud leve scandalum dederit, fratres in fide turbarit, malè cum Scriptura, pejus cum interpretibus Reformatis, publicisqve Confessionibus egerit, quin contumeliis ipsum affecerit Salvatorem nostrum, testaretur, severè voluit, suspensione primùm ab Officio per aliquot Menses Bekkerum afficiens, donec re penitùs desperatâ, morasqve ex moris trahente Bekkero, muneri ipsum penitùs interdiceret; Senatus verò Ecclesiasticus Amstelodamensis communione etiam de sacrâ Cœnâ arceret, & ex membrorum Ecclesiæ numero excluderet, qvod Mense Julio & Augusto hujus anni accidit. Rem omnem, quæ in his Conventibus acta est, exposuit in Epistolis suis Philalethes; & ipse Narratorem eorum, quæ acta fuerunt, publicum egit Bekkerus, *in Brevi & Verâ Relatione* (Belgicè scriptâ) *de iis, quæ*

vontigerunt à 13. die Maji 1691. usq; ad 21. Augusti 1692. in Senatu & Classe Eccles. Amstelod. atq; Synodo Hollandiæ Borealis, in Caus. â Balthasaris Bekkeri; Ex Philalethis recensione negotium illud persequitur *Auctor* der Monatlichen Gesprächen/ qui Mense Februar. hujus anni initium illius narrationis dedit.

§. 2. Cæterum, qvod ad ipsa Bekkeri Dogmata attinet, res omnis in hunc modum se habet. Quatuor edere Libros, aut Libri Partes potius, constituit; Prima & Secunda viderunt lucem; in primâ id egit Autor, ut Mores Gentium in asserendis colendisqve Diabolis recenseret, & quâ Dæmonem potentiâ viribusqve insignem Opiniones hominum effecerint, commonstrare; in secundâ verò, ut Scripturam de Dæmonibus agentem exponeret, Argumentisqve, deceptos, quos putat, homines, de exili aut nulla potiùs Diaboli in Mundo operatione convinceret. Tertia & Quarta Pars, investigationi sententiarum, quibus de Dæmone ejusqve mira operandi versutia & conatu, statuunt communiter, qui receptas opiniones sequuntur, destinatæ erant, nisi Superiorum interdicto Libri illi, quo minus exirent in publicum, præpediti, & repressi fuissent. Vid. *L. 1. c. 1. §. 7. & 8.* de Opere primæ, tertiæ, quartæqve partis, qvod facilem invenire legentium consensum possint, ipse Autor judicat *Præfat. L. 1.* sed de secundo Libro sibi metuit, estq; ille, ex qvo sententia Viri pendet atqve examinanda est. Hanc ut in compendio referam, id dicendum est: Statuit Bekkerus, quicquid de Angelis, Diabolis, eorumqve potestate docetur, ex Gentilismo derivatum ad Papicolas, ab illis traductum etiam ad alios fuisse, ut Deos quasi quosdam Medios crederent, qui Summum Deum curâ rerum gerendarum levaturi intermediam substantiam constituerent, quæ quicquid apud homines ageretur, referret ad supremum Numen, deprecaretur pro hominibus, aut accusaret eos, ab illo demum ad hæc inferiora ablegata varias in hoc mundo operationes ederet. Vid. *L. 2. c. 3. §. 3. sqq.* Hoc est, qvod ille absurdum dictu censet, itaqve existimat, qvod quamvis omninò & boni dentur & mali Angeli, illi tamen eâ, quâ feruntur potestate instructi non sint; neqve verò absonum esse putat, si dixerit, unum tantùm esse Diabolum, qui Angelis malis quasi administris utatur, cum quibus tamen gehennæ inclusus à Deo nec adsit huic mundo, nec nocere, nec omninò operari possit. *Vid. C. 9. & 10.* Cùm verò aliud doceri ex Scripturâ posse pateat, id sibi sumit negotii

Autor,

Autor, ut in alium ſenſum trahat, quæ hactenus de Diabolicà poteſtate & operandi modo explicata fuerunt, Codicis Sacri loca plurima illorum de morbis intelligenda eſſe, quibus affecti fuerint homines, cùm à Dæmone agitati crederentur, alia Dæmonis vel Diaboli nomine malos deſcribere homines, qui aliorum inprimis famæ inſidiati fuerint, arbitratur; ſi aliud ſvadeant circumſtantiæ Textus, talem eſſe ſenſum Spiritûs S. dicit, quem nos concipere & aſſeqvi non valeamus. Sic de lapſu primi hominis per Diaboli verſutiam conciliato *Gen. 3.* neſcire ſe dicit, quid ſtatuere debeat, cùm nec ſerpenti tutò nec Diabolo tribui res illa poſſit; unde quamvis ipſe olim ex communi Autorum ſenſu hoc negotium explicaverit, nunc tamen aliud exiſtimet, quamvis qvod ad ſenſum myſticum, narrationem omnem Moſaicam referre velit, haud obſcuris indiciis declaret. *Vid C. 20.* De Angelis Abrahamo pariter atqve Lotho apparentibus *Gen. 18. & 19.* non aliter putat, quàm qvod homines fuerint; unde Paulus nominando eos Angelos non niſi nuntios hoc nomine indigitatos voluerit & legatos. *Vid. C. 14.* De Angelis, per quos legem datam eſſe in Monte Sinai *Act. 7, 53. Gal. 3, 19.* dicitur, ita ſtatuendum putat, non qvod revera illi huic actui adfuerint, ſed quod appellatio ipſorum Majeſtatem tantùm Dei deſcribat, per illos miniſtros multò adhuc [illegible]iorem factam. *Vid. C. 15.* Chriſtum dicit non à diabolo tentatum in deſerto *Matth. 4.* ſed Deum Patrem effeciſſe, ut Servator noſter quaſi in imagine & ideà cogitando videret Diabolum, imaginaretur ſibi, ac ſi cum ipſo loqueretur, qvod actu factum non ſit. *Vid. C. 21.* Diabolum, quo ſeductus legitur David, ut populum numeraret *1. Chron. 21, 1.* hominem fuiſſe ait, fortaſſe aulicum quendam Davidis *Cap. 22.* Sic de homine malevolo explicat litem, quæ circa Corpus Moſis mota fuiſſe aſſeritur *Jud. v. 6. Vid. C. 23.* Dæmonem, qui per vetulam loquebatur Sauli *1. Sam. 28, 7. ſeqq.* hominem fuiſſe ait, ſuppoſitum à Veneficà & inſtructum, qui in eo mentitus fuerit, aut ſaltem ambiguè locutus, qvod altera die Sauli interitum denunciabat, cum ille eâ die non contigerit. Idem de aliis ſentit, quibus ſpiritus aliquis Python tribuitur in S. literis; ut *Act. 16, 16. ſeqq.* Jobus, juxta hunc interpretem, à Diabolo afflictus non fuit; neqve enim nebulonem illum infernalem (dien Helſchen Bandrekel) tantæ unquam fuiſſe poteſtatis, ut amicos Dei excruciaret, ſed Deum ipſum autorem exſtitiſſe calamitatis, quam verbis myſticis Scriptura deſcribat, ut patere poſſit,

qvod

qvod gravi sæpe subjiciantur tentationi à Deo, ad suppeditanda aliis patientiæ argumenta, quos caros sibi maximeqve acceptos habet. Quomodo & cum Paulo Deus egerit, cui Angelum aliquem Sathanis, h. e. Ministrum quendam Judicis, ab ipso missum (ideoq; Angelum dictum) ut ab illo virgis fustibusqve cæderetur, attribuisse dicatur *2. Cor. 12, 7. Vid. C. 25.* Quos à Diabolo obsessos fuisse Scriptura memorat, eos insaniâ agitatos, menteqve captos, aut peculiaribus quibusdam morbis affectos arbitratur *Vid. C. 27.* unde verba Christi, quibus in expellendis Dæmonibus usus est, ad errorem vulgi accommodata fuerint, *Cap. 28. adde c. 29.* Haud aliter sentit de Lunaticis *C. 30.* In aliis Scripturæ dictis ubi Potestatum, Magistratuum, Principis hujus mundi, ævi, aëris, mentio fit, homines designatos, eosqve potestate illustres, affirmat; *C. 31.* de quibus, inprimis, si Calumniatores fuerint, Petrus intelligi debeat, cùm *Diabolum circumire dicit veluti Leonem rugientem, & quærere, quem devorare possit 1. Petr. 3, 16.* haud secus, atqve Paulus expetat, ut *caveamus astutos impetus Diaboli*, h. e. fallacias & sophisticationes Philosophorum, quæ *funes sint Diaboli*, quos idem Apostolus memoret *2. Tim. 2, 26. Vid. C. 17.* Absona profectò hæc omnia sunt, & quæ cordato cuicunqve bilem moveant, sed nihil magis infrunitam hominis mentem arguit, quàm qvos Angelos, quod Judas [redacted] *non conservasse originem suam, sed reliquisse Domicilium suum, unde judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine serventur, Jud. v. 6.* eosdem, *quibus Deum non pepercisse, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidisse* Petrus affirmat, *2. Epist. 2, 4.* putat fortè, exploratores esse terræ Canaan, qvi cum malo nuntio terrerent populum, judicio divino condemnati sunt, qvod videre ipsi & reliqvus populus, præter Josuam & Calebum, non debeant terram promissionis, *Num. 13. & 14. Vid. Cap. 9.* Plura non refero, quod possem, si qvid de Spectris, Somniisqve sentiat Autor, referre vellem, ipse Hobbesium in hoc passu & Spinozam, qvos nuper examinavimus, egregiè exprimit, & rem omnem persvasionibus hominum phantasticis adscribit *C. 23.* qvod ipsum latius jam olim declaraverat *in Disquisitione suâ de Cometis* (Ondersoek over de Cometen) *cap. 25. 29.*

§. 3. Et sanè hic ipse ejus Liber est, in qvo prima sparsit Opinionis suæ semina Auctor. Quod *in Comment. ad Danielem (Uytleggінge van den Propheet Daniel) Anno 1688. edito* nihil propè de sententiâ suâ ingerat,

gerat, ferè miror; quanquam Danielis 10. 11. ac 12. Capita in eundem sensum intellecta velit, atque de Jobi calamitatibus & afflictione Diabolicâ mentem antè exposuit. Vid. *Comment. citatus Bekkeri p. 652. seqq.*

§. 4. Hoc verò cacoëthes illud dogmatum hujus Autoris est; cujus causâ opus scilicet erat, ut ipse gloriaretur: *Ego Diabolum ex hoc mundo elimino, & constringo in inferno; ut liberius dominetur Jesus Rex noster. Confido verbis Domini: Ne metuite de iis, qui Corpus tantùm occidere possunt; de eo verò metuite, qui Corpus & animam tradere potest in gehennam. Matth. 10, 28. Multò minus ego illum horreo, qui nullam in utrumq; potestatem habet, nec judicium in eos, qui pro ipso operantur. At si ejusmodi ille Deus est, contendat pro se, & adversus me, quia altare ipsius dirui, Jud. 6, 32. In nomine Domini Exercituum aggressus sum hunc Goliathum, videamus, quis succurrat ipsi. Malus ille spiritus, ille adeò solers, adeò insidiosus, adeò rebus omnibus intentus, nihil quicquam scivit de Conatu meo, nihil quicquam animadvertit omni illo tempore, quo ego in id intendi viribus nervisq;, quibus potui, ut Coronam Capiti ejus detraherem, & Thronum Regium conjicerem in flammas: Neq; tamen ex improviso ipsum adortus sum, sed diu minitatus, neque per cuniculos in eum irrui, sed aperto marte, sic ut omnis id nosset orbis. Sed Diabolus, quem ego nunc impugno, ipse illud non novit; si secus habet, ipseq; intelligit spiritus malitiæ & superbiæ, quid est, quod ignominiam illam ferre potest? quid est, quod quietum me esse sinit, ut hæc peragam? Ego nec video illum nec audio* &c. *Vid Præfat. L. 1. Belgicè exscriptam.*

§. 5. Mirari verò subit, unde tanta in hoc Viro rerum suarum fiducia, quē bellum indixisse non Dæmoni tantum, sed Orbi, & eruditis quibuscunque constabat. At cum cogito, in quorum Scholis profectûs ille suos fecerit, jam de animo hominis & se ipsum efferendi studio judicare pronum est. Ab Hobbesio certè & Spinoza, quamvis id valdè nolit, at quantis his Thrasonibus! haud parum addidicit, quorum non explicationes tantùm in evolvendo sacro Codice suas facit, sed ipsum opus, ut Dæmonum neget in hoc mundo potentiam agendique conatum, studiosè amplectitur. Num Cartesio, quem aliàs in delitiis habere solet, nihil in hoc studio debeat, alii dijudicent. Id extra omnem dubitationis aleam positum est, quod discere ab *Orchardo, Concionatore Reformato in Novâ Angliâ* potuit; Scripsit ille *Tractatum Anglico idiomate*, cui tit: *Doctrina Diabolorum, quod ultimorum horum temporum maxima Defectio sit, demonstrata &c. per N. Orchardum*; qui Liber *Londini prodiit An. 1676.* in Belgicum verò sermonem translatus est *à Wilhelmo*

Sewel, Anno 1691. Autor iſte, quamvis fateatur, *inſtitutum ſuum non eſſe, ut aliis perſvadeat, nullos exiſtere Dæmones, nec à ſe negari, quod ingens horum conatus ſit, ut malis afficiant homines, ſecundum extremum virium ſuarum; unde id ſolùm demonſtrare nitatur, quod ipſorum potentia & vires tantæ non ſint, quales communiter deſcribuntur, creduntur que abs hominibus, Vid. c. 4. p. 12.* nihilominus eâ utitur ſententiæ ſuæ declaratione, quæ ad Bekkerianas opiniones penitus accedit. Nam præterquam quòd in eo ſe totum eſſe affirmat, ut operationes Diaboli in limites cogat, ſecus atque æſtimant homines, *vid. Præfat. operis.* Chriſtum quoqve dicit non ejeciſſe Diabolos, utpote qui obſidere homines, illorum pervadere corpus, & huc illucve propellere non poſſint, ſed in ſanitatem priſtinam reſtituiſſe mente captos, aut qualibuscunque morbis ac ægritudinibus afflictos; Δαιμόνιον etiam non denotare Diabolum, ſed veſaniam mentisque corruptionem affirmat &c. *vid. Cap. 8. p. 18. ſeqq.*

§. 6. Præter hunc Orchardum neſcio an *Bidellum* quoq; allegare debeam, à quo informatus noſter inſtructusque fuerit. Conſtituerat homo ille Socinianus in Libro, quem contra Divinitatem Spiritûs S. ſcripſit, & hoc inter alia convellere argumentum noſtrum, quo ab Omnipræſentia hujus perſonæ ad Divinam ejus Naturam concludimus; fingit igitur, unum tantum eſſe Sathanam, male intellectâ Chriſti parabolâ, Marc. 4, 15. qui tamen unus operari in ore quadringentorum falſorum Prophetarum potuerit 1. Reg. 22, 23. 24. qui unus impœnitentes, (quamvis illi maximam partem faciant humani generis) detinere illaqueatos poſſit pro ſuo arbitrio, *2. Tim. 2. ult.* &c. planè quemadmodum Bekkerus non plures agnoſcit, atq; unum tantum Diabolum, in eo licet diverſus à Bidello, quod hujus in mundo non variam, ſed nullam omninò operationem agnoſcit.

§. 7. Enimverò præ omnibus iſtis, quos recenſui, Bekkero egregiè placuit *Daillonus.* Vixit is antea in Xantonenſi Gallorum provincia, Caſtro-Eraldenſis Eccleſiæ Miniſter, nunc verò Religionis causâ apud Londinenſes exul; prout refert *Dn. Leydekkerus Diſſertat. alleg. contra Bekkerum p. 197.* Hic *Daillonius* in *Libro Gallico pro Religione ſuâ Apologetico*, cui tit. eſt: *Examen de l' Oppreſſion des Reformez en France;* eâdem, quâ deinde Bekkerus, oberrare chordâ deprehenditur. Unum dicit eſſe Diabolum, idque confirmare ex Scriptura, & adverſa explicare loca nititur. In hoc verò opere, quantus quantus eſt, Bekkero præludit, ipſeque primus eſt abſurdæ explicationis Autor, quâ Judæ verſ. 6. per *Angelos* dicuntur intelligi *nuntij & ablegati*

ablegati, fortaſſe illi, *qui Num. 13, 2.3. emittebantur à Moſe, ut exploratores eſſent terræ Canaan*, quos putat deſeruiſſe τὸ ἴδιον οἰκητήριον, quando diffidentiâ ſuâ & puſillaminitate effecerunt, ut puniti à Deo arcerentur ab habitatione, quæ ipſis futura fuiſſet propria ex promiſſo Divino, Regionis, quam exploraverant; quam explicationem Daillonii ipſe prolixè refert *Bekkerus L. 2. c. 9. p. 50. ſeqq.* probat etiam eandem, quàmvis in eo nondum ſibi conſtet, quomodo pœnam à Petro deſcriptam *2. Pet. 2, 4.* & *Judâ verſ.* 6 applicare ad hos exploratores debeat, qui quanquam vi comminationis Divinæ mortui fuerint in deſerto, & terram promiſſionis non inhabitaverint, *Num 14. 29.* minimè tamen pœnæ infernali additi, & catenis tenebrarum vincti perpetuis usque ad Judicium magni diei ſerventur, niſi fortè ita tolli dubium poteſt, quod vocabula *Inferni*, *Catenarum* & *tenebrarum* penes Hebræos *mortem* ſignificant. Sic frater fratrem excuſat, quem ſuæ patrocinari ſententiæ animadvertit.

§. 8 Quæris, quibus tandem fundamentis illi omne ſuum opus ſuperſtruant. Ergo verò binas deprehendiſſe mihi videor magni moliminis Rationes: Prima eſt, quòd cauſantur: per illam, quam nos Diabolo vendicamus, operandi in hoc mundo potentiam, Divinæ dicam ſcribi poteſtati, tantumque de illâ detrahi, quantum vendicetur Diabolo: Altera eſt, quod fieri non poſſe putat Bekkerus, ut Dæmon, quoniam ſpiritualis ſubſtantiæ eſt, operetur in Corpus, idque quod localiter conſtitutum in hoc mundo deprehendit. De priori prolixè diſſerit *Orchardus*, imprimis *in Præfat.* cujus verba Belgica Latinè reddam: *Quia Apologetæ Diaboli*, ait, *Dæmonem, imò & veneficum Chriſto aſſimilant, in actionibus ſingularibus atque miraculis, Chriſtum capite quaſi plectunt, & Deitate exuunt, & quid pejus eſſe poteſt? Quisquis Regem dicit ejusdem cum homine viliori conditionis eſſe, alium verò ex vulgo poteſtate Regiâ induit, ille Regem negat, & infimæ ſorti adſcribit; ille verò ex plebe non amplius talis eſt, ſed Rex eſt; ita certè habet cum iis, qui æqualem Diabolo cum Chriſto poteſtatem vendicant, deturbant Chriſtum de ſe de ſuâ, aut Dæmones ſaltem Reges potentiâ eminentes efficiunt, qui Chriſto aſſocientur; annon peſſimi ſunt conatus illi, & abnegationes Chriſti? -- Quidni ad aſſertæ Apologetarum Dæmonis porro quæras: quem putent majora edere miracula poſſe, Chriſtum an Belial, Jeſum an Beelzebub? Nam ſi eorum miracula eadem ſunt, itidem etiam*

Dij sunt; quin procul dubio, qui maximorum miraculorum autor est, ille & maximus DEus est; quod de Diabolo dicendum erit, ut videtur, ipseque adeò solus DEus, Christus verò non erit DEus, si enim potestate sua privatus est, aut, si illa cum alio æqualis virtutis est, multò magis si alterius virtus major est, jam cum Divinitate ipsius actum est. Bekkerum eodem modo audire licet; qui cùm *in Præfat. L. I.* ita se jactasset, quod *hic Liber testis loco ipsi esse debeat, tantùm potestatis & sapientiæ Deo ab ipso tribui, quantum ei detraxerant, qui Diabolum extulerunt*; hinc inde deinceps profitetur, *se nullam Diaboli potestatem agnoscere, quæ si ipsi vendicetur, Deum opus sit de throno suo deturbari, quod ipsum inficias ire, quin damnare & refellere hoc opere suo & conatu voluerit.* Vid. *Cap. 17. §. 8. Cap. 34. integr. &c.*

§. 9. Sed fallor ego, aut hi magno conatu magnas nugas agunt. Quis tandem nostrûm, qui non omninò omnem Diaboli in hoc mundo operationem inficiamur, eò insaniæ unquam dilapsus est, ut operationes illas divinæ agendi potentiæ æquare vellet? Magnas esse vires Dæmonum asserimus, quando quæ illi in assumptis corporibus, quin & extra eadem peragunt, contemplamur; quando ad actiones Magicas attendimus; quando effectûs pessimos, sed illos tamen, quibus explicandis par humana potentia non videtur, qui tamen aliquod, idemque malum agendi Principium postulant, in mentem nobis animumque revocamus. Certè Gentilium eò jam pertingebat cognitio, qui Dæmones dari pessimos colligebant, quod in humanis mundanisq; rebus plurima contingerent, quæ minime sancto cuidam & optimo Auctori, nec tamen & homini vendicari posse videbantur. At num propterea, quod magnam esse potentiam Diaboli dicimus, omnipotentem ipsum constituimus? Num propterea Dei potentiæ derogamus? Absit! Si Diabolum creare aliquid de novo posse & solere assereremus, næ ex illo DEus fieret; Si operari illum pro lubitu valere testaremur, jam DEum deturbare de throno niteremur. At quis id unquam statuit? Imò verò sint licet egregiæ Vires Dæmonum, non sunt tamen infinitæ: Præstet ille, qvæ admirationē apud omnes & stuporem excitent, miracula præstare non potest, quod vis quædam divina ad illorum effectionem requiritur. Noceat miris modis, & male agat cum hominibus, non tamen in omnes id potest, non in eos, quos consortes sceleris minime habet, nisi Providentiæ Divinæ sapientissima consilia aliud expetant. Quid multis? Si quæ à causis secundis perfici, si quid in Naturâ

fieri

fieri potest naturali agendi potentia, id facere potest Diabolus, sæpe etiam efficit & perpetrat, applicando agentia passivis, singulari quadam agilitate, quod diuturna rerum experientiâ edoctus est; nec tamen idcircò ea potest, quæ vim causarum secundarum & Naturæ superant, & ad quæ producenda mediatâ creatione, Divinoque influxu opus est. Unde igitur pendebit Monarchia ejus? unde absoluta quædam agendi vis? Quod si ita crederemus, uti nonnullis ex Thomæ Aquinatis scholâ placuit, quod in rebus mundanis DEus omnia agat; causæ secundæ verò præsentiam tantum sui accommodent agenti Deo, jam negatæ Monarchiæ Divinæ & adstructæ Diabolicæ argui possemus, qui præter DEum & malum Angelum motûs quosdam ciere posse assereremus. Si quis Diabolum, (ita rectè Leydekkerus) in suis operationibus independentem à Deo crederet, & non ejus Regno subditum, ut instrumentum, quò uti sanctissimè & justissimè placeret, jam urgeret nos Bekkeriana exprobratio. Quid ergo tandem? Diabolus nihil potest contra voluntatem Dei; quicquid potest, à potentia Dei acceptum, potest; quicquid agit, & malè in hoc Mundo operatur, permittente Deo & limites eidem, quousque progredi debeat, constituente, operatur.

§. 10. *At*, inquit Bekkerus *Cap. 34. §. 18. hic penes Apologetas Diaboli magna se prodit versutia; cùm Diabolum permissione Dei circumscribunt & determinant. Estque illud vulgatum & commune dicterium, quod Diabolus hoc vel illud efficere possit si à Deo concedatur. Fateor, quod horream, quoties homines ejusdem mecum fidei in hunc modum verba facere audio; Quasi verò DEus Diabolo concedere possit, ut DEus sit, Creator Creaturæ, ut Creator sit &c.* Pari modo Orchardus: *Communiter*, inquit, *latitant sub illâ opinione; dicunt, DEus in ipsis permittit, tumq; mira præstare potest & inaudita. Sed ego dico, Permissionem hanc merum esse inventum, figmentum, appositumque somnium. Concedat DEus Diabolo nimium, ne quicquam coërceat illum & constringat; ipse tamen Diabolus eâ esse potentiâ non potest, ut aliquid eorum agat, quæ solius Dei propria sunt. Permissio non est potestatis concessio, sed libertas tantùm quædam naturalem vim exserendi sine coactione &c. Et quidni tandem Diabolus potestate à Deo acceptâ ita abutatur, ut DEus sine Diaboli permissione, proprias efficere operationes suas nequeat, nec malum agere nec bonum, nec quicquam ad scopum perducere. Nam quamvis parem non habet potestatem impetrandi, destruendi, &c. potest tamen*

habere poteſtatem reſiſtendi, oppugnandi, &c. Horret profectò animus, dum hæc refero. Nemo hucusque fuit, qui permisſionem DEI cum collatione potentiæ confundere voluit; nemo, qui per Concesſionem hujus illiusvé Operis ſolutum eſſe à poteſtate DEI, aut hâc ipsâ donatum Dæmonem affirmaverit: nemo, qui, quæ DEus tantùm poteſt, in Naturâ & ſupra Naturam, Diabolum etiam poſſe confirmavit: Id dicimus repetimusque, ea ſæpe agere Dæmones, quæ nobis impervia ſunt, naturales tamen cauſas agnoſcunt; Quæ humanam potentiam exſuperent, ut ſanare citò morbos absque adhibitione viſibili Medicamentorũ, in clauſo conclavi efformare corpus, in eo operari, illudque in ſua vicisſim principia reſolvere, & quæ hujus generis alia ſunt, Diabolo vendicamus, quod ad id pertingere ars noſtra, vires noſtræ, ſapientia noſtra non poteſt. Qui plus illi tribuit, & Divinam quandam agendi vim in Diabolo ſomniat, à nobis non defenditur, ventoque locuti ſunt & cum illo depugnarunt Bekkerus pariter & Orchardus; quanquam & id vellem Bekkerus conſideraret, quod ſi maximè verùm foret, quod ille aſſerit, non eſſe magnam Diaboli potentiam, nondum tamen exinde ſequeretur & colligi liceret, quod nulla ſit, ipſeque inferno incluſus plane extra illum operari non poſsit, quod ab ipſo demonſtrandum erat.

§. 11. Sed videamus nunc, utrum altera Ratio, quam rebus ſuis ſupponit Bekkerus, meliore nitatur fulcro: Hanc principe loco habet, cumque aliter ſuccurrere placitis ſuis per fortisſima Scripturæ Sacræ ſibi adverſantis fundamenta nequit, dimisſâ inſtituti ſui ratione ad illam velut ſacram anchoram confugit, conſultumque eſſe conatui ſuo ſufficienter exiſtimat, ſi dicat, id demonſtrandum unicè eſſe, ut Spiritum operando afficere, nec alium Spiritum, nec Corpus poſſe evincat. Pluribus in locis hujus argumenti ſui mentionem injicit, ſed duo ſaltem dabo: *In Præfat.* ſtatim *Lib. 2.* digitum eò intendit, cùm dicit: *Scio, quantum ad uſum Rationis attinet, qvod illis in hoc opere ſatisfacere non poſsim, qui Carteſii fundamenta penitùs rejiciunt, aut latius etiam extendunt; ſecundum qvæ verò ego Spiritum atqve Corpus à ſe ipſis, utrosqve autem à Creatore diſtingvo, nihil de illorum operationibus affirmans, cujus rationem nullam video.* Sed apertius rem agit *L. 2. c. 10.* ubi primùm de Angelis bonis negat, qvòd multum ſciant de rebus humanis, maximeqve cogitationibus noſtris, malos autem omninò

omninò carere asserit à notitiâ rerum nostrarum, *cùm ex revelatione divinâ petere eandem deberent, qvæ verò, si id vergere in detrimentum piorum posset, nihil manifestare voluerit Diabolis, si in bonum & commodum proborum, Angelorum potiùs bonorum ministerio usura sit*; sed hoc asserto non contentus, disquirere de potentiâ & operationibus Spirituum finitorum incipit; has partitur, aliisqve earum tangi debere spiritum alium qvemcunqve dicit, aliis verò affici corpora; *Quomodo Spiritus aut Angelus, inqvit, operetur in nostrum spiritum, h.e. animam, Scriptura non explicat. Imò verò quomodo aliquid operari potest penes id ipsum, de quo nihil novit aut intelligit? Hoc volo; si Angeli operari possunt afficiendo animam nostram, opus est, ut id fiat cognoscendo cogitationes nostras; at illa soli Deo cognitæ sunt. Sine Spiritus instigare ad peragendum opus aliqvod potest, absqve loqvela & signis à me editis, qvod mediante corpore fit, opus erit, ut id faciat, quia cogitationes, qvas mente servo, non placeant ipsi, adeoqve alias posit, qvas in me non invenit. At qvid inveniat, qui nullius cogitata novit? Invenire illas in homine, imprimere ipsi, corrigere eas, aut confirmare, opus est solius Dei Spiritus.* Hinc colligit, absurdum esse, qvod communiter docetur, bonas cogitationes suggeri à Spiritu Sancto, malas à malis Angelis. Qvî enim creatura id egerit, qvod Dei est; quiqve mali Angeli potestate majores sint atqve boni; cum his non tribuatur, si qvid in hominibus boni exiſlit, contra, malis id omne, qvod pessimè cogitant, aguntqve mortales: absurdius adhuc esse putat qvòd à Dæmone ortum, profectumqve dicitur, qvodcunqve illi etiam cogitant animoqve concipiunt, qvi bonitate vitæ ab Angelorum consortio alieni sunt. Omne id ex errore credi, dicit, inqve ignominiam cedere & Dei & Angelorum bonorum. Eodem modo de operatione Angelica, qvæ in corpus dirigatur, exiſtimat, qvem ipse assequi non potest, qvâ ratione fiat, cùm nulla detur communio inter Spiritum & Corpus &c.

§. 12. Hàc de re ut breviter dicam, qvod sentio; ego tum ex falso suppositio, tum ex incongruo conceptu de Operationibus Angelorum omnem illam enatam Bekkero difficultatem exiſtimo. Falsum certè suppositum est, qvòd nullam dari communionem spiritus atqve corporis exiſtimat. Non dicam de aliis momentis, in qvo conveniunt ab utraqve parte Corpus & Spiritus, id sufficit, qvod uniri spiri-

ſpiritus poteſt cum corpore ad edendas communes operationes, ſic ut ex arctisſimâ conjunctione illâ fiat una perſona. Nam ſi noſter ſpiritus, ſi anima noſtra habet corpus, ſi in illo agit & operatur, quidni detur communio quædam inter ſpiritum atqve corpus? Sed tranſeat illud: Πρῶτον ψεῦδος Bekkeri eſt, qvod modum operandi Angelicum non ita concipit, uti par erat. Illi, qvorum Principia ipſe ſequitur, qvosqve putat *in Præfat.* faciliùs ſecum conſenſuros eſſe, omnem Diaboli operationem fieri per ipſius voluntatem dicunt, eo qvod tactus aliquis corporeus ipſis veluti ſpirituali Eſſentiâ præditis, minimè conveniat. Per hanc verò voluntatem putant prodire in actum Angelos, non aliter, *quàm ut poſitâ eâdem, aliud qvid ſequatur in creaturâ, qvod tamen totum, qvoad ſuam realitatem Deus efficit.* Hæc ſi ita habent, prout *Wittichius* exponit *Theol. Pacif.* §. 137. neſcio ferè, annon rectè dixerit Bekkerus, nullam eſſe Diaboli operationem, vel in aliud qvodcunqve extra ſe poſitum, vel maximè in corpus: nam hoc modo non Angelus amplius aget & operabitur, ſed DEus aget ad præſentiam Angeli ejusqve elicitam volitionem, neqve tribui ipſi poterit qvicqvam hujusmodi actionis, qvàm in qvantum Deo placet, ad ipſius voluntatem operari. Sed hactenus aſſentiri huic explicationi non poſſumus; quidni enim tum dicendum foret, id omne fieri debere, & effici qvod Angelus velle poteſt, ſi ipſorum voluntas ipſa operatio eſt? quidni aſſerendum fuerit, qvod tamen profanum & blaſphemum eſt, malum omne, qvod volunt pravi ſpiritus ad ipſorum voluntatem à Deo effici, & ut mitius dicam, obſeſſos ſaltem homines vel inſanos (prout æſtimat Bekkerus) à Deo ita agitatos, motos, convulſos fuiſſe, qvemadmodum experientia illos & olim & hodiè oculis ſubjecit. Non ergò ſola voluntas eſt, non nuda ejus directio, per qvam efficiuntur Angelica Opera ut difficile ſit, actiones ſpirituum in Objecta à ſe diſtantia cognoviſſe; quanqvam illud hîc addam, qvod licet & nos fateamur, per voluntatem ſuam agere ſpiritus, nondum tamen colligere Bekkero integrum foret, nullam planè eſſe operationem Angeli in corpus; neqve enim à negatâ ſententiâ modi operandi ad negandam ipſam operationem valet progreſſus, qvod multa à nobis ignorantur, quâ ratione fiant, qvæ tamen revera fieri conſpicimus atqve intuemur. Sciat ergò Bekkerus, nos & communionem ſtatuere qvandam inter ſpiritum & corpus, & non ad ſolam voluntatis præſentiam

tiam fieri actus Angelicos, asserere. De communione illâ testatur anima nostra, quod nec inficiasire Bekkerus potest; *de nostro Spiritu*, inqvit, *notum est, qvod in corpus operari possit, cùm corpus habeat. L. 2. c. 9.* unde non est, ut hanc communionem ex ipsis operationibus humanis, passionibusqve corporis, qvæ in animam qvoqve pertingunt, qvod facilè possem, explicare ulterius instituam: Explicet verò jam Bekkerus, qvomodo ipse clarâ & distincta perceptione hanc operationem animæ conceperit, & nostrum tum erit, Angelicam operationem in alienum corpus commonstrâsse, secus, si ipse sibi in asserto suo non sufficit, nec à nobis modum exponendi flagitet, qvo operetur Angelus; qvamvis interea nos operationem ejus in distans, uti ille actionem spiritûs in corpus unitum, veram esse, & extra dubium positam asseramus. Sed qvod non solâ voluntatis præsentia actiones edat Angelus, hoc est, qvod maximè opus videtur, ut explicare Bekkero dilucidius conemur. Nostra scil. sententia est, præter voluntatem Angelicam, qvando spiritus ille operatur, reqviri præsentiam ejus substantialem, reqviri potentiam actumqve exequentem, sine qvibus si fuerit, nulla est, qvæ corpus distans attingat, & moveat, operatio spiritualis. Loquatur pro nobis Svarezius: *Habet (res spiritualis, (substantialem & realem præsentiam definitam, secundum quam necesse est passo conjungi, quando agit in illud. Non enim movet (Angelus) per has potentias, ut proximè elicientes motum, sed dirigendo & applicando potentiam exequentem, qvam oportet conjunctam esse passo.* Id qvod ex Thomâ declarat, qui actionem Angeli dixit radicari in Essentiâ ejus, à quâ procedit virtus & operatio, & ideò necessarium esse, substantiam ejus aliqvaliter conjungi rebus, qvas movet, quia movens & motum debent esse simul. *Et declaratur præterea*, addit Svarezius, *quia si efficacia in movendo pensanda esset ex modo, qvo voluntas attingit suum objectum, sicut voluntas Angeli indifferenter velle potest propinqvum & distans qvantumcunq; ita eâdem efficacitate posset movere corpus propinqvum & distans quacunq; distantiâ; consequens autem est planè absurdum, qvia cum virtutem habeat finitam, non est verisimile, posse æquè operari in rem quantumcunq; distantem, sed habere terminũ in sphæra activitatis suæ; sicut ergò aliter comparatur potentia motiva ad subjectum, qvàm voluntas ad objectum, ita etiam in absolutâ conditione propinquitatis & distantiæ; potentia enim mo-*

vens agit realiter & transeunter in subjectum quod movet, & ideò oportet, ut sit realiter indistans ab illo, secus verò est de voluntate, ut versatur circa objectum, in quod realiter non agit, neque ipsum immutat. Vid. *Suarez. Metaph. Disp. 18. §. 47. 48.* Ita ille de principio actionis spiritualis, quæ ad corpus fertur; à quo non omninò abeunt ex Cartesii etiam schola nonnulli, qui *operationem quandam voluntatis, seu potestatem illius* allegare solent, per quam fiat actio, quam illi contradistingvere Voluntati Divinæ consveverunt, quæ non ut illa dependenter, sed independenti efficaciâ operetur. Et verò si ita rem concipias, difficile amplius non fuerit, ideam qvandam de Angelicâ & spirituali operandi methodo concipere, qvam quia in se non deprehendere poterat Bekkerus alienis suppositis occupatus, ipsam operationem inficiari voluit.

§. 13. Jam si de operatione Spiritus, quâ alium afficit Spiritum dicendum est, res certissima est, quod Spiritus agere in spiritum possit & soleat. Quid enim, si secus habet, Bekkero de Angelis eorumq; societate videatur, qvæ sine hâc operatione nulla est, & in truncos qvosdam aut lapides Nobilissimam substantiam convertit; sed modus tamen hujus operationis difficultate suâ non caret; quanquam existimo haud male Scholasticos docuisse, quod omnis illa actio peculiari quâdam conceptum imprimendorum ratione peragatur; sive ad illam substantialis conjunctio spiritus agentis cum altero, in qvem agit, sive moralis tantùm, qvod in mandatis communicandis fieri potest, requiratur; in quo non omnes consentiunt, nec ego judicium atqve sententiam nunc interpono. Pertinet autem huc agitata lis de loquela, quam vocant, Angelicâ, quæ an per signa fiat sive sensibilia, sive an spiritualia, nudâ intellectionis suæ ad alterum directione, an cogitando, se velle, ut manifesti sint alteri actûs suæ intellectionis & volitionis, an imprimendo cognitionem sui conceptûs intellectui alterius, idqve aut sine speciei beneficio, aut cum illâ, multa est & prolixa dissensio: Cartesiani, quicqvid hujus operationis esse potest, voluntati adscribunt; propterea, qvod intellectûs officium sit, res objectas percipere, isqve fere passivè se habeat. Unde statuunt, certum à DEo institutum esse nexum inter Voluntatem unius Angeli & perceptionem alterius; ut quandocunqve unus Angelus cogitationes suas alteri cognitas esse vult, eo ipso illæ alii Angelo

reve-

revelentur. De homine aliter sentiendum existimant, quando in illum agit Angelus; quia enim is speciem intelligibilem nec imprimere Angelo, nec accipere ab eo potest, cùm inter Angelos & hominem tale commercium ac nexus non sit, qualis inter voluntatem, & intellectum duorum Angelorum, itaqve loqui Angelum homini, vel agitando & figurando aërem ad eum modum, qvo oportet, ut verba in eo effingantur; vel glandulæ nostræ, sive cerebro talem motum, qualem à nervis extrinsecus motis perageretur, ac veluti imaginem ejus rei, qvam nobis offerre vult, imprimendo. Quod quando fit, non jam immediatè menti nostræ illabi, ac voluntatem nostram inclinare posse Angelum tradunt, cum id solius Dei opus sit, sed mediatè agere per phantasiam, cui potentissimas illecebras objiciat, & spirituum in cerebro motum, quos ad formandas in nobis has illasve cogitationes producat, uti in vatibus Gentilium ac obsessis patet.

§. 14. Hæc verò recepta hactenus de Operatione spirituum sive, in Corpora, sive in alios Spiritûs tendente, Doctrina est, quâ si quid proficitur ad dilucidandas has difficultates, jam omnis concidit Bekkeri Conatus, nosqve haud injuriâ arbitrabimur, Dæmonem, movere posse corpora, ac circumagere, operariqve in materiâ variis diversisqve modis, prout experientiâ rerum ipse edoctus est, & agere etiam in animam nostram, non ut omnes ejus cogitationes & secreta animi perspiciat, etiam quando externis signis minimè se produnt, qvod Bekkero facile concedimus, sed ut suppeditet tamen occasionem conceptuum & cogitationum, qvæ abs ipso homine eliciantur. Hoc sensu non erravero, si dicam, Diabolum afficere nonnunquam immediatè intellectum nostrum, sæpius tamen phantasiam aliosqve sensus, ut per eos mens ipsa motum sentiat & dirigatur. Qui enim non intellectui speciem quandam imprimat, cùm constet, pios etiam cordatosqve homines miris haud rarò anxietatibus premi, & cogitationes concipere de Deo & rebus divinis, qvas nec audiverunt unqvam, nec affectant; ne dicam, qvod de rebus loquantur sæpe remotissimis, quæ hoc momento fiant, quas concipere distincta repræsentatione Phantasia & servare non poterat. Qvod verò & Phantasiam movere possit Diabolus, multò adhuc clarius est, cùm animales ciere spiritûs, comprimere & dilatare ventriculos cerebri procul dubio valeat, qvod qvandoqve in mente captis accidere consvevit;

ſvevit; quanqvam ſi illud durius videatur dictu, id abſonum videri non poteſt, ſi dicam, ex qvorundam recentiorum ſententia, movere Diabolum poſſe plicas, qvæ cerebro impreſſæ ſunt, tumqve per hunc motum efficere, ut imago recondita ex illis quaſi prodeat, & agitata plica proximè cohærente, nova eliciatur ſpecies, cujus aliqvod ſaltem veſtigium adhuc ſupereſt, ſicqve & ſomniantibus & vigilantibus phantaſmata ſupponere poſſe Dæmonem, per quæ in uberiorem rerum ipſarum ventilationem intellectus deinde deducatur. Si ita rem conceperit Bekkerus, quiq; cum ipſo ſentiunt, non erit, quod nimias ſibi fingant difficultates in re, quæ probabiliter cognoſci atque explanari poteſt. Videat verò tandem ipſe, quomodo Sathanam ex hoc Orbe exterminet, quem ſpiritum eſſe ſupponit, h. e. ſubſtantiam cogitantem; cùm *Subſtantia cogitans eo ipſo qvo cogitat, ubiqve ſit, quorſum cogitationes ſuas dirigit*, quæ abſurda ejus & craſſa philoſophandi ratio eſt; *Vid. L. 2. c. 10.* quidni enim hoc modo Diabolus in Mundo ſit, cùm in Gehenna latitans de Mundo ſaltem cogitat, & homines ſibi concipit? ſed tranſeant demum hæc omnia; Ego certum verò, operari omniò Dæmonem in hoc Orbe, quod experientia abundè docuit, nec puto, probationi hujus rei, nec ulteriori ſententiæ Bekkerianæ examini, (quod prolixiorem à Theologis operam ſibi poſcit, qvam hic dato ſtudio ſepoſuimus) inſiſto, omnemqve prout hactenus inſtitui, *de Dæmonologia Recentiorum Auctorum falſa* differendi conatum non fruſtra mihi excidiſſe ſentiam, cum æquo lectori perſvaſum erit, *qvod in re difficili vel voluiſſe ſatis ſit.*

S. D. G.